A807

0-10-0
259



SVECIA,
siue
de Suecorum
Regis Dominiis
et opibus.

Commentarius
Politicus.

LVGD. BATAV:
Ex officinâ ELZEVIRIANA. 1631.
Cum Privilegio.

Sereniſſimi ac potentiſſimi regis Sueciæ cubiculario, & civitatis Stralſundiæ gubernatori maxime ſtrenuo,

Illuſtri ac generoſo domino,

Dn. STENONI BIELKE, libero Baroni de Krokerum, &c.

NEC NON

Illuſtri ac generoſo domino,

Dn. CAROLO HORN, L. B. de Amynne, &c.

Promotoribus & dominis meis gratioſis, hoc enchiridion &c.

Officioſe dat dicatque

M. HENRICVS SOTERVS,

Daliâ-Sueco.

TYPOGRAPHI
ad Lectorem.

OPtime Lector, multum operæ insumpsimus in hoc enchiridio adornando. quem in usum cultissimus dominus M. Henricus Soterus haud pauca nobis suppeditavit. Si quid in nostro labore tibi desiderabitur, quo nos aliquando juvare poteris ad secundam hujus perficiendam libelli editionem; id quidem à te, ut ne negligas, humaniter & pro honore tuo contendimus; officiaque nostra vicissim offerimus. si vero minus; saltem, dum præstitimus quæ valuimus, satis id erit ad probandum tibi fidelitatem nostram, quam consulere æqui bonique possis. Vale.

CON-

CONTENTA LIbelli sunt sequentia octo.

I.

REgni Sueciæ geographica & politica descriptio. *autore Andrea Bureo, Sueco.* P. I.

II.

De ingenio, moribus & consuetudinibus Suecorum. 73

III.

De regimine politico & civili regni Sueciæ. 76

IV.

De vectigalibus regiis. 175

V.

De potentia regis Sueciæ, tam mari, quam terra. 189

VI.

Series regum Sueciæ. 193

VII.

Regia familia Sueciæ, *è theatro Nobilitatis Suecanæ, à Ioanne Messenio Sueonio fabrefacto.* 273

VIII.

De propagatione religionis per Sueciam, ejusdemque reforma-

formatione tempore Lutheri;
item ſerie archiepiſcoporum
Vpſalienſium. 288

SVM-

Summa Privilegii.

Illustrium & Præpotentium D. D. Ordinum fœderatarum Belgiæ provinciarum decreto cautum est Bonaventuræ & Abrahamo Elzeviriis, *Academiæ Leydensis typographis, Ne quis præter illorum aut hæredum voluntatem toto decennio proximo, his in regionibus excudat, aut alibi extra provincias excusum inferat vendatve librum hunc, cui titulus,* Suecia, sive de Suecorum regis dominiis & opibus, commentarius politicus. *Quod si quis contempta auctoritate, directe vel indirecte, librum hunc, totum, vel partem ejus, hoc sive alio modo, extra dictum temporis intervallum typis mandare, vel impressum alibi in has oras inferre & vendere præsumpserit; confiscatione exemplarium, mulctaque insuper sexcentorum florenorum damnas esto; uti latius patet in ipso privilegio, dato Hagæ in conventu D. D. Ordinum Generalium,* XV *Maji,* MDCXXVI.

G. V. Hertevelt Vt.

Ad mandatum Præpotentium D. D. Ordinum General. ff.

I. van Goch.

I.

REGNI SVECIÆ GEOGRAphica & politica descriptio.

Authore

ANDREA BVREO, SVECO.

EVROPAE partes ad septentrionem vergentes moderni geographi orbem Arctoum appellant. Dividitur in Scandiam & Daniam. Scandia vel Scandinavia, quam Plinius insulam incompertæ magnitudinis vocat, Europæ latus septentrionale claudit: Regio latissima inter LV & LXXII gradum septentrionalis latitudinis, & XXV ac LXV longitudinis extensa: à meridie Daniam & Germaniam, à septentrione & occasu oceanũ, ab ortu vero Russiam habet conterminam: ejus australiores partes, ubi polus ultra sexagesimum gradum non elevatur, cœlum satis habent mite & temperatum; mediæ vero quæ sexagesimum gradum & circulum Arcticum interja-

cent, cœlum quidem non admodum clemens habent, ſed cœli ſeveritatem compenſat ſoli fertilitas, iis locis ubi ſylvis rupibuſque conſitum non eſt, partibus præſertim orientalioribus auſtralioribuſque. Extremæ autem partes circulum Arcticum & polum interjacentes, neque cœli neque ſoli gaudent clementia. Ideoq; mirandus ille naturæ rerumque omnium conditor, ſiquidem ibi frumenta propter languidum ſolis calorem non matureſcunt, pro incolarum ſuſtentatione, terras illas variorum animalium venatione, ſinus maris, lacus & flumina, multiplicium piſcium abundantia ditavit.

Fuit autem Scandia olim quam nunc multo populoſior. quod teſtantur plurimæ illæ, quarum hiſtoriæ mentionem faciunt, Scanzianorum in reliquas mundi partes expeditiones & quaſi inundationes; cum partim ob populi frequentiam ac innatam fœcunditatem, partim divinitus immiſſam annonæ charitatem, partim naturam populi ſuetam prœlio, & fugientem diſſidia, inſtar apum, ſibi ſuiſque liberis novas quæſierint ſedes. eandem etiam populoſitatem comprobare videntur lapidum, propter

ſoli

ſoli purgationem, comportatorum acervi, qui etiam in maximis inviis denſiſſimiſque ſylvis hodie viſuntur frequentiſſimi, qui evidenter convincunt eas olim omnes fuiſſe habitatas. Quare eam veteres ſcriptores non immerito officinam gentium vaginamque populorum appellarunt: Exiverunt enim hinc, non ſolum bellicoſi illi Suevi, Normanni, Vandalique & alii, verum etiam domitores & terror orbis, Gothiæ noſtræ Suecanæ indigenæ & propago, Veſtrogothi & Oſtrogothi, qui multis perluſtratis regnis & provinciis, & bello defatigatis pleriſque Europæ populis, tandem in Hiſpania conſederunt, ejuſque imperium ad noſtra uſque tempora obtinuerunt.

Scandinavia duo Arctoi orbis regna complectitur, Sueciæ videlicet & Norvegiæ. Sueciæ regnum, ut Scanzianæ teſtantur hiſtoriæ, reliquis antiquius eſt, à cujus regibus tum Danorum tum Norvegianorum veteres deſcendebant regum familiæ. Dan enim primus Danorum rex, à quo Dania vel Danmarchia denominata eſt, filius fuit Humeli Suecorum regis, in ordine decimi ſexti. Norvegii autem in ſuis Chronicis, prius quam ad ſuos

deveniunt, viginti quinque enumerant Sueciæ reges, à quibus originem traxit Haldanus *Hvvitben*, qui maternum genus ducens à Solvone quodam Norvegiæ regulo, ipſi in ſuæ ditionis dominio ſucceſſit, poſteaque ſubactis multis provinciis ampliatum regnum ſuis tradidit hæredibus; cujus demum trineposHaraldus *Harfagher*, propulſatis devictiſque omnibus Norvegiæ regulis, primus ibi monarchiam inſtituit, ut teſtatur priſcum Norvegiæ Chronicon, à M. Ioanne Martini Slangerupenſi, anno MDXCIV in Dania publicatum.

Regni Sueciæ imperium, per multa ſecula ab indigenis & domeſticis regibus feliciſſime adminiſtrabatur, donec Magnus *Erichſon* (alias *Smeck* cognominatus) Sueciæ & Norvegiæ rex, & Dominus Scaniæ, neglecto imperandi munere, ſe voluptatibus & ſocordiæ dedit. Cujus imperium pertæſi proceres, Albertum ducem Megapolitanum, ejus ex ſorore nepotem, contra eum ad capeſſendas imperii habenas acciverunt: Poſtquam autem Albertus regnum Germanis impleviſſet, quibus totum rerum cardinem demandabat, Sueciſque iis parendi neceſſitatem impoſuiſſet, plurimi proce-

rum

rum ad Margaretam Daniæ & Norvegiæ reginam, cum Alberto de imperio certantem, desciverunt. Postea regnum Sueciæ cum Danis trium regnorum unione constituta aliquantisper conjunctum mansit, donec reges legum in coronatione juratarum immemores, ac neglectis spretisque Suecis, Danos arcibus & gubernationi præfecerunt. Quare Sueci & Norvegiani se despectos contemtosque videntes, Carolum Canuti, ex nobilitate Suecana conspicuum, multoque rerum usu præstantem virum, Sueciæ & Norvegiæ regem constituerunt. Norvegiani deinde Christierni primi Daniæ regis pollicitis allecti, ejus se imperio subjecerunt. Carolo autem in Suecia quasi vicereges successerunt Sturii, donec moderni Sueciæ regis avus Gustavus primus, ex antiqua regum Sueciæ prosapia descendens, Herculea virtute, regnum à Danorum potestate penitus liberavit; Sueci etiam accepti beneficii memores, eum ejusque posteros masculos regni hæredes constituerunt.

Potentiam fortitudinemque bellicam Suecorum arguunt, assidua vel continua potius, quæ jam annos fere trecentos cum vicinis gesserunt, bella.

Ab illo enim tempore (ut priora ſileam) ſemper à vicinis laceſſiti, aliquando cum omnibus ſimul, ſæpius cum uno vel duobus belligerando, eos ſeque defatigarunt; nullamque interea ab omni parte vel decennalem pacem habuerunt, aliquando etiam civilibus diſcordiis flagrarunt.

Reipublicæ Suecanæ ſex ſunt ſtatus: Principes hæreditarii, Nobiles, ſtatus Eccleſiaſticus, Milites, Mercatores & Ruricolæ.

Regis filius natu maximus hęres eſt regni. Si plures habet filios, illis teſtamento Ducatus, filiabus vero dos conſtitutionibus regni determinata, centum videlicet millium Ioachimicorum, non è fiſco regio, ſed Ordinum contributione, datur. Quanquam autem regum ſucceſſio jam ita ſit immutata, ut qui olim ſuffragiis eligebantur, nunc ſint hæreditarii, jurant tamen in Religionem Auguſtanæ confeſſionis & leges regni.

Hoc loco ſilentio tranſire non poſſum ſapiens illud reipublicæ Suecanæ fundatorum inſtitutum, qui cum Iethro conſiderantes imperii onera unius humeris ſuſtineri non poſſe, gravibus iiſdem oneribus levandis Senatum regni conſtituerunt, qui regi in arduis

arduis reipublicæ negotiis consuleret, perpenderetque quid & ipsi Regnoque consultissimum foret: Hi semper ab selectissima totius regni Sueciæ nobilitate eligebantur, inter quos ii semper in maxima authoritate fuerunt, qui præ cæteris reipublicæ onera sustinuerunt, nempe hi tres, Regni *Drotset*, *Marsk* & Cancellarius. *Drotset* fere Viceregem sonat, unde etiam in hodiernum usque diem manet Reginæ appellatio *Drotning*: hujus Drotseti, quem, vocabulo non satis apto, Archidapiferum vocant, olim munus erat, Regem, si qua in re contra leges patriæ Regnique constitutiones delinqueret, admonere, emendationemque suadere, ut ex historiis atque unione illa quæ ante ducentos triginta annos inter hæc borealia regna constitura erat, videre licet. Quæ quidem duriſsima erat provincia, quæ eos sæpius in extrema conjecit pericula; Hodie vero præsidet Parlamento vel summo judicio regio, quod *Hofsretten* vel *Konungz Nämd* vocant, causasque per appellationem illuc devolutas una cum Vicepræside cæterisque assessoribus cognoscit & judicat, à quo quidem appellare non licet, conceditur tamen in gravibus controversiis

reviſio: Primo autem cognoſcuntur & judicantur cauſæ in civitatibus à Conſulibus & Scabinis civitatum, ruri vero à judice territorii, quem *Häredzhöffding* vocant, à quo appellari poteſt ad judicem provincialem, quem *Lagman* vocant, ab eo rurſum ad ſupremum illud, de quo locuti ſumus, judicium.

Poſt adminiſtrationem juſtitiæ proximum Regis munus videtur defenſio patriæ, ideoque oportet ut ſemper ſtrenuos habeat milites, non ſolum fortibus & bonis prognatos, verum etiam ſumma diligentia & induſtria exercitatos, inſuper & omnis generis inſtrumenta bellica ſemper in parato habeat: Quam provinciam Reges Sueciæ *Richſens Marsk*, vel Regni Mareſcallo demandare ſolent, quem, cum fortitudinis bellicæ curam gerat, ab antiquo nomine *Madersk*, quod virum fortem vel Martialem ſonat, contracte *Marsk* nominarunt, veriſimileque eſt, ipſum etiam Martem, quem veteres olim (ut teſtatur Virgilius) Geticis putabant arvis præſidere, nomen ab eadem traxiſſe origine. Hujus Mareſcalli officium eſt, Generalem agere belli Ducem, cum ipſimet Regi aciei præeſſe non placet. Is colle-

gas

gas habet complures, inter quos præcipuus est *Rijckſens Tijghmeſter*, hoc est, munitionum, tormentorum bellicorum, armaturarum, machinarum atque omnino omnium apparatuum, instrumentorum, eorumque artificum & opificum præfectus, cui demandatum est procurare, ut omnia istiusmodi fideliter justoque tempore procurentur. Habet & Mareſcallum Campestrem, & cohortum turmarumque tam equestrium quam pedestrium Tribunos, Primipulosque eorumque suffraganeos, quorum ope milites omni armorum genere exercet, ut habiles expeditiq; fiant, ac quisq; quid sui sit officii sciat, cum in aciem progrediundum est. Ad hujus collegii forum pertinent omnes casus, quibus contra constitutiones bellicas vel Castrenses, quas *Krijghartickiar* vocamus, peccatur.

Quandoquidem autem Regni Sueciæ ita fert conditio, ut non terrestri solum, verum etiam maritima sive navali defensione egeat, considerarunt, utrumque bellum ab uno Duce commode geri non posse; nostro præsertim seculo, postquam tormenta bellica, & ob eorum commodiorem in bello navali usum, naves majores

inventæ sunt. Quare inter regni Senatores tertium dignitatis locum decreverunt Architalassio, quem ad exterorum imitationem *Ryks Admiral* vocamus. Cujus officium est, ut Classis Regiæ dux sit, habeatque curam totius prælii navalis, ut naves idoneæ fideliter ædificentur, diligenter parentur, necessariisque bellicis machinis instruantur, peritique navium Capitanei, naucleri, gubernatores, atque omnis rei nauticæ idonei præfecti, opifices & ministri eligantur, sustententur & cõserventur, portuumque munimenta oportunis locis ædificentur, scopulique pernicioſi notentur. Is collegas habet Viceadmiralium, particulariumque Classium Admiralios & Capitaneos; pertinentque ad ejus forum omnes causæ quibus adversus Constitutiones Classicas sive Nauticas delinquitur.

Quia verò ad bonam Reipublicæ constitutionem non sufficit solum justitiam inter privatos administrare, patriamque ab exterorum incursibus defendere; verum etiam summopere necessarium & utile sit, ut diligens quoque habeatur ratio, quomodo reipublicæ corpus, quod ex pluribus diversisque membris constat, æquabili-

ter

ter counitum, æterna harmonia feliciter cohæreat, ac tam ab interna quam externa contagione incorruptum sustentetur & conservetur: Putarunt igitur summe necessarium, ut inter Regni Senatores unus deligeretur, qui præ cæteris politicis disciplinis bene imbutus, vario gravissimarum rerum usu & experientia edoctus, ejus rei singularem in se curam reciperet; qui, si, ut par est, cæteros experientia, judicio & meritis antecesserit, quamvis non ordine, æstimatione tamen & dignitate, semper apud Reges, inter Regni Senatores, supremo loco habitus fuerat. Ille enim cum Rege cæterorum consilia & deliberationes seorsim perpendit, ac consultationum delectum, diligenti adhibita rerum trutina, cum Rege instituit. Eum ab illo tempore quo Runæ vel Gothicæ literæ una cum ejus officii & dignitatis appellatione interciderunt, ad Latinorum imitationem, quorum literæ in priorum locum substitutæ sunt, Cancellarium vocamus, à cancellando, vel à cancellis quibus cancellariæ olim circumcinctæ erant. Ejus, ut superius commemoratum, inprimis munus est, curam habere, non solum ut reipublicæ membra, Status vide-

videlicet, è quibus totum ejus syſtema conſiſtit, æquabili libramine concinnata & counita, harmonice ad perennem durationem coagmententur, ſuſtententur & conſerventur: verum etiam prævidere & proſpicere quænam noſtræ reipublicæ conditio & conſtitutio ſit ad vicinas, quaſque ab illis vel commoditates, vel detrimenta capere poſſit, oportuniſque vel mediis ſeſe offerentes commoditates acceptare, vel neceſſariis remediis imminentia detrimenta tempeſtive prævenire & avertere. Proinde ad illum pertinent omnes conſultationes & deliberationes cum Regni Senatoribus, Conſiliariis Cancellariæ, vel Statibus Regni, omnia comitia, conventus, & tractatus cum Regni Statibus, omnia privilegia, omneſque à Rege conceſſæ Iudiciorum reviſiones, & earum definitivæ ſententiæ, omnes conſtitutiones, Statuta & ordinantiæ, Gubernatorum provincialium, Caſtellanorum & officialium plenipotentiæ, inſtructiones, informationes, juramenta & aſſecurationes. Inſuper omnes controverſiæ & tractationes cum vicinis Regibus, Principibus, rebuſque publicis: Bella, Inducíæ & pacificationes, Legatorum & Commiſſariorum inſtructio-

ſtructiones & relationes, extraneorumque Legatorum Commiſſariorumque propoſitiones. Hujus collegæ ſunt Vicecancellarius & conſiliarii Cancellariæ; ſuffraganei Archivi cuſtos, Secretarii Regii & Cancellariæ ac Archivi ſcribæ. Poſtremo ne omnia ſupradicta corruerent, neceſſarium erat, ut nervi rerum gerendarum, pecuniæ acquirendæ & reddituum conſtituendorum, rationem non negligerent. Quintum ergo, inter primarios Regni Senatores, honoris gradum decreverunt theſaurario; cui incumbit, ut reditus juſto tempore importentur, bene ſerventur, & ex æquo diſtribuantur, rationeſque tam acceptorum quam expenſorum juſte reddantur. Is collegas habet Conſiliarios Cameræ, vel Archicamerarios, Præfectos provinciarum, Quæſtorem & Camerarios. Ad hujus forum pertinent omnes cauſſæ fiſci, delictaque quæ in rationibus acceptorum & expenſorum committuntur. Præter hos quinque ſummos Senatores, conſtituti ſunt & alii Regni Senatores & Conſiliarii, qui ut eo majore cura & diligentia patriæ neceſſitatem perpendant, ſemper à præcipuis antiquiſſimiſque nobilitatis Suecanæ familiis eliguntur.

Nobi-

Nobilitas in Comites, Barones, Equites auratos, communemque nobilitatem dividitur. Comites olim Ierl dicebantur, singularique ritu ob singularia merita à Regibus, quemadmodum & Duces, quos *Hertogh* vocabant, creabantur. Sed neque titulus neque Ducatus vel Comitatus ad hæredes transibat. Et quoniam experientia olim docuit, eos se Regibus sæpius opposuisse, aliquot seculis omissi sunt earum dignitatum tituli; donec Ericus XIV ejusque successores, ad exemplum aliorum Regum, eosdem titulos rursum introduxerunt, Comitesque ac Barones hæreditarios creare cœperunt. Equites aurati etiam virtutis ergo à Regibus creantur, sed titulus ad posteros non transit, nisi illi, parentum vestigiis insistentes, tales meruerint honores. Communis nobilitatis nomine veniunt cæteri nobiles inferiores, qui nullo peculiari honoris gradu donati sunt, olim *Affvvapn* dicti, aut quod in bello expeditis armis essent conspicui, aut scuta insignibus gentilitiis ornata haberent: Ejusdem plane sunt conditionis cum iis quos Germani communiter *die vom Adel, oder Edelman*, Galli *Gentils hommes*, & Angli *Esquier* vel *Squire*, aut *Gentlemen*

lemen appellant. Hi omnes maximis dotati sunt privilegiis, bonaque habent hæreditaria allodialia, exceptis Comitatibus & Baroniis, iisque prædiis quæ nuper à Regibus acceperunt, quæ sunt feudalia. Ex supra dictis Nobilitatis ordinibus eliguntur Senatores Regni, Archicamerarii, judices terrestres, gubernatores provinciarum, castellani, & id genus supremorum officiorum administratores, quibus maximi deputati sunt reditus.

In Suecia tam filiæ nobilium, quam filii in bonis allodialibus succedunt, filio tamen pars cedit dupla, cum filiæ tertia tantum. Quæ hæreditatis distribuendæ ratio à Birgero Ierl Regni gubernatore ante annos plus minus 370 introducta perhibetur.

In Statu Ecclesiastico sunt: Archiepiscopus Vbsalienſis; & Episcopi, Lincopensis, Scarensis, Strengnensis, Aroſiensis, Vexionensis, Aboensis & VViburgensis; Quibus adnumerantur etiam superintendentes, Calmariensis, Revaliensis, Mariæstadiensis & Goteburgensis. Episcopis rursum & Superintendentibus attributi sunt Canonici & capitulares; his subsunt Præpositi, Pastores & Sacellani, qui rem divinam in singulis curant templis.

Episcopi

Episcopi olim multas possidebant arces, plurimaque prædia, è quorum reditibus Principum more vivebant. unde insolentiores facti rem sæpe facessebant Regibus, eosque aliquando Regno expulerunt. Quare Gustavus primus ne idem sibi suisque posteris accideret, allectis sibi contra Episcopos rebellionem parantes regni proceribus, eorum consensu arces & prædia Ecclesiastica coronæ sive fisco Regis adscripsit; aliquibus saltem prædiis relictis, ex quibus, & parte Decimarum sibi assignata, Episcopi cæteræque Ecclesiasticæ personæ honestam habent sustentationem. Erant olim prædicti Episcopi in Regni Senatorum numero, usuque est Archiepiscopus Vbsaliensis, aliquando etiam Episcopus Lincopensis, Primatis Regni Sueciæ titulo: Ambiebatur ideoque tum illa dignitas à summæ nobilitatis virorum filiis, sed postquam Sueci Reformatam amplexi sunt Evangelicam Religionem, sacra tantum curant: quamobrem hodie ad illa munera admittuntur etiam Ecclesiæ ministrorum, mercatorum, ruricolarumque filii. Habent tamen adhuc in omnibus comitiis una cum reliquis Regni statibus sua suffragia & vota.

Status

Status militaris constat è copiis tam equestribus quam pedestribus, non tamen è milite peregrino & mercenario, sed domestico. Pedites enim è selecta juventute, ad militiem apta, decimati conscribuntur. Qui postquam conscripti sunt, prædia immunia possident, insuper etiam stipendium à Rege accipiunt: quos tyrones Rex per officiales ei rei destinatos, aliquot annis domi omni armorum genere laboribusque castrensibus exerceri curat, in expeditionibus interim pugnantibus veteranis. Quo fit, ut quamvis satis magnas contra hostem extra Regni fines eduxerit copias; patria tamen in omnem eventum justa defensione non destituatur, mercenarioque milite, rarissime, ac non nisi certis de causis, utatur. Non igitur mirandum, quod sæpius etiam nostra memoria, cum omnibus vicinis, Moscho videlicet, Polono, & Dano, simul bella gesserit. Defatigatis autem copiis, vel expeditionis perennitate attenuatis, statim substitui possunt novæ, quæ armis & castrensibus laboribus assuetæ, militiæ difficultatem ferre possunt: Regni videlicet firmissimum præsidium. Equestres copiæ sunt duplices, nobilium scilicet & plebejorum. Nobiles

enim pro quantitate prædiorum & redituum, equites in defenſionem patriæ alunt ; ac præterea ex qualibet provincia plebeji qui prædia habent inſigniora. ut ea ab omni cenſu ſervitioque immunia teneant, ſub vexillo provinciali equo ſtipem merentur.

Mercatores urbium oppidorumque inhabitatores, omnis generis indigenas merces ab incolis coëmunt; atque aut ipſi in exteras nationes exportãt, aut extraneis illuc navigantibus vendunt; unde lucra hauriunt maxima. Habent autem civitates illæ antiquas leges municipales, à vetuſtiſſimæ civitatis Bircæ jure derivatas: quæ civitas ante ſexcentos annos ſedes erat regia, totiuſque regni emporium celeberrimum. Habent etiam ſingulæ civitates ſingularia privilegia, conſtitutioneſq; optimas; quibus antiquitus ordinatum determinatumque erat, qua ratione civitates maritimæ cum extraneis, mediterraneæ vero cum incolis ac maritimis civitatibus, mercimonia exercerent, ut ad ſingulas lucrum emolumentumque redundaret ; cautumq; erat ne unius civitatis commodum incrementumque alterius damnum ruinamque adferret. Quæ privilegia, propter maximos, quibus Suecia

cia jam diu conquaſſata eſt, belli turbines, à civitatum præfectis, quibus legum adminiſtratio demandata erat, aliquantulum ſunt neglecta; (inter arma enim ſilent leges) unde in commerciis paulatim multæ irrepſerunt anomaliæ. Ideoque modernus Rex inter alia, quibus ſuum erga patriam amorem, indefeſſumque reſtaurandi corroborandique declaravit ſtudium, etiam antiquas illas conſtitutiones, quaſi intermortuas reſtauravit, auxitque: quæ ſi in poſterum obſerventur, inque debito vigore manſerint, dubium non erit, quin ſingulis civitatibus priſtinus reſtituatur nitor.

Ruſticorum ſtatus infimus ac quaſi fundamentum & baſis reliquorum eſt, qui reliquis victum & amictum ſuppeditat. Horum duo ſunt genera, primum vocant *Skatbonder*: qui agros habent hæreditarios, ex quibus quotannis certam dant penſionem: quam Reges adaugere non conſueverunt: quibus etiam ea prærogativa antiquitus conceſſa eſt, ut ſi rei militari ſint idonei, poſſintque ſibi equum armaturamque idoneam comparare, quandiu ii eorumque filii equo ſtipem merent, prædia ab omni penſione ſervituteque immunia habeant. Quæ res

facit, ut plurimi, quasi ab incunabilis, animum ad rem militarem applicent; unde Regis exercitus equestris non parum corroboratur. His adnumerantur & ii qui *Bergzmän* dicuntur, qui montana inhabitantes effodiendis cõflandisque metallis dant operam, unde maximum haurĩunt lucrum, ideoque plerumque sunt divites. Reliqui rustici regia aut nobilium vel Ecclesiastica colunt prædia: qui etiamsi Dominis fundi, præter annuos reditus, & servitia præstant; multas tamen ex piscationibus, aucupiis & lignatione, aliquando etiam venationib⁹, habent commoditates, quæ aliorum regnorum colonis sunt denegatæ. Quandoquidem regio lacubus fluminibusque piscosis, alicubi etiam sylvis abundat, quorum commoditates dominis fundi, præter earundem frequentiam longinquitatemq; ab eorum residentiis, usui esse non possunt: quare nullibi in aliis regnis, pisces, aves, leporesque, & id genus alia, minoris veneunt, quam in Suecia. Postremo ad conclusionem de statibus regni, præterire non possum; Ruricolas una cum cæteris regni Ordinibus, etiamnum in omnibus comitiis peculiarem habere sessionem, suaque vota & suffragia.

Quo

Quo fit, ut nullus ſtatus ſit contemtus; neminique bono & honeſtatis amanti patriæ civi, per ſuas virtutes, ad eximios honores & dignitatis gradus perveniendi via præcluſa ſit.

Fuerunt olim in regno Sueciæ unicuique provinciæ ſua jura legeſque propriæ, quarum varios fuiſſe perhibent auctores, quorum nomina majori ex parte ob vetuſtatem ignorantur. Vplandicæ tamen Vigero Spa, Veſtrogothicæ vero Lumbero cuidam adſcribuntur. Suntque Veſtrogothicæ illæ ejus vetuſtatis, ut proculdubio latæ videantur eo tempore quo Gothi hinc exiverunt, vel paulo poſt. Mentionem enim faciunt Gothorum in Græcia & Thracia habitantium, videlicet ne quis eorum ſit particeps alicujus hæreditatis in Suecia vel Gothia, niſi illuc redire ibique degere voluerit. Conſtat autem, Gothos ante Alexandri Magni tempora ibi habitaſſe, quos ille vitandos pronunciavit. Iidem etiam, ante natum Chriſtum, ſæpius terrori erant Romanis, quo minus Imperii ſui fines trans Danubium propagare auderent. Conveniunt autem leges illæ majori ex parte cum Iſidori legibus Viſogothorum, quamvis multo ſint breviores. Quare veritati non abſonum videtur,

detur, eaſdem Iſidori Viſogothorum leges à noſtratium Veſtrogothorum conſtitutionibus primum derivatas, ac poſtea, ut ipſi teſtantur tituli, à Viſogothorum in Hiſpania regibus augmentatas eſſe. Ex ſupradictis autem provincialibus legibus, aliiſque Regni conſtitutionibus, Epiſcopi & Senatores Regni ante annos plus minus 270 generale jus totius Regni compilarunt, legi naturę valde congruum, nec à jure Civili multum diſcrepans, niſi quod hujus vigore lites multo citius ad finem perducantur.

Habuerant veteres Sueci Gothique proprias literas, quas illi Runas, exteri vero literas Gothicas communiter appellarunt. Quas neſcio quamobrem primi Chriſtianæ religionis apud eos propagatores abolere voluerint, inque illorum locum Latinas ſubſtituerint. Suſpicantur quidã, iis literis olim plurima de illorum antiqua religione extitiſſe ſcripta: eamque penitus extirpari non potuiſſe, niſi tam ſcriptura quam omnes libri iiſdem literis ſcripti penitus abolerentur Sed credibile eſt, ea ratione plurima ſublata eſſe monumẽta, quæ alias poſteritati maximæ fuiſſent utilitati. Quæ res occaſionem præbuit, ut plurimæ eorum antiquitates, ſcitu

ſcitu dignæ, jam æterna ſepultæ jaceant oblivione. Sunt enim noſtrates ſoli, exceptis Græcis, qui inter omnes Europæ populos, de propriis & à nullis aliis acceptis gloriari poſſunt literis. Quare ſi per tot ſeculorum anfractus, iiſdem literis ſtructæ cumulatæque huc uſque extitiſſent antiquitates, potuiſſent proculdubio noſtri, quibusvis ſcientiarum theſauris, cum Græcis Latiniſque certare. Cum enim literæ ſint artium ſcientiarumque nutrices, propagatrices, & conſervatrices, veriſimile eſt, noſtrates, præ reliquis ſeptentrionalium regionum incolis, ut literarum ita & artium ſcientiarumque cultores extitiſſe. Quamobrem olim tam Græcis quam Latinis Philoſophis admirationi fuerant Gothi; quod præ cæteris omnibus gentibus, animorum immortalitatem firmiſſime crediderint. Ac quamvis eorum de animæ immortalitate ſcripta jam perierint, ſi etiam neque extarent extraneorum de ea re teſtimonia, poſſet tamen diligens antiquitatum ſcrutator, ex innumeris illis, quæ etiam hodie apud nos extant, monumentis, literis Runicis immanibus ſaxis rupibuſque inſculptis, ejus certam infallibilemque conjecturam ca-

pere. In illis namque ut plurimum ad finem adduntur hæc verba:



hoc eſt: Deus adjuvet animam ejus. Præterea quod & artium fuerint cultores, non obſcuro id eſt argumento, quod ruſtici etiamnum in ſcipionibus ſuis calendaria Runis vel Gothicis literis inarata geſtent, ex quibus anni tempora, novilunia & plenilunia, annos biſextiles, aureum numerum, literas Dominicales, aliaque ad eam rem ſpectantia, exactiſſime ſupputare ſciunt.

Ad incolarum ingenia moreſque quod attinet, velim ut de iis extranei potius judicent. Verum tamen eſt, eos, non hodie ſaltem, verum antiquis etiam tẽporibus ob hoſpitalitatem præ cæteris commendatos fuiſſe; quod teſtatur A. Bremenſis, dicens: Quamvis omnes Hyperborei hoſpitalitate ſunt inſignes, tamen præcipui ſunt noſtri Sueones; quibus eſt omni probro gravius, hoſpitium denegare transeuntibus. Sunt etiam præ cæteris humanitatis, candoris, animique ſynceritatis laude conſpicui. Ideoque multis extraneis admirationi fuit, quod etiamſi ibi frequentes ſint ſylvę, rariſ-

rariſſimi tamen inveniantur latrones. Neque à veritate aberrat G. Mercator, de illis ſcribens: Incolæ, ſi cum Germanis conferantur, civilitatis fortaſſe minus, induſtriæ certe ingeniique plus habent; utpote quovis eorum ruſtico omnia opificia arteſque mechanicas callente.

Chorographica Regni deſcriptio.

SVeonia (ut verbis utar A. Bremenſis) regio eſt fertiliſſima, ager frugibus & melle opimus, extra quod pecorum fœtu omnibus antefertur. Hęc ille: In quo quidem ei contradicere non auſim, cum ruſtici Hollandici, qui huc transmigrarunt, affirment ſe hic tantum butyri & caſei ex ſexagenis lactis amphoris conficere poſſe, quantũ in Hollandia è centenis. Lacus variis piſcibus abundantes habet innumeros; inter quos tamen ſunt præcipui *Meler, Vener & Veter*: quibus adnumerantur Hielmer Nericiæ, Sirian Dalecarliæ, Aava, Lula*tresk*, Torne*tresk* & Enera*tresk* Lapponiæ, & Vla*tresk* Cajaniæ, nec non Pejendæ Tavaſtiæ: quibus merito adnumerari debet lacus Ladoga, inſignis magnitudinis, qui nuper fœdere Muſcovitico maxima ſui parte in jus Regum Sueciæ ceſſit.

Flumina insigniora sunt, quæ ex iisdem lacubus derivantur, Dalacarlus, Saga, Vla, Angermannus, Tidalida, Nos, Eda, Vsk, Nissa, Laga, Helga, Marboa, Aam, Cumoelff, Cimielff, Hoelff, Vlaelff, Voxen, Prinsioki, Poventz, Nieva: de quibus in provinciis quas secant aut alluunt dicetur.

Regio non omnibus quidem in locis plana est, sed præsertim in septentrionalibus occidentalioribusque partibus montosa & sylvosa, qui equidem montes non omnes colonis sunt impedimento detrimentoque. Nam eorum multi plurimis variorum metallorum generibus sunt ditissimi; quæ certe metalla, ut conflentur, maxima lignorum egent copia. Vnde videre est mirandam stupendamque naturæ opificis benignitatem, quæ ne tales metallorum venæ hominibus inutiles essent, semper in nostra patria iis associavit sylvas, perennesque, quibus elaborari possent, aquarum decursus. Neque carent iidem montes sylvæque etiam aliis commoditatibus. accolis namque venationes aucupiaque præstant optima. Loca maritima littusque non Sueciæ solum, verum & Finlandiæ, naturæ Conditor undequaque insu-

insulis innumerisque scopulis præruptisque rupibus circumcinxit, ac quasi obvallavit, ut impossibile sit extraneis sine perito ductore ab indigenis edocto ad illas oras appellere. suntque illi scopuli saxis asperi, aut cautibus invii, & vix virenti cespite vestiti. Insulæ etiam, in mari præsertim, quamvis suis locis agros, prata, pascuaque habeant gratissima: tamen majori ex parte rupibus densissimisque sylvis sunt consitæ. Vnde exteris primum illuc adventantibus mirum videtur, solum tam asperum & incultum incolis alimoniam suppeditare posse: ad interiora autē venientibus, panditur regio pulchra, cunctis vitæ necessariis opulenta satis; Vnde illis prius concepta admiratio evanescit. Regio tota, sicut & Britannia, Norvegia, Dania, Polonia & Muscovia, omnesque LI vel LII gradu latitudinis septentrionaliores provinciæ, vino caret: eius tamen maxima copia. & quidem omnis generis, à mercatoribus istuc advehitur: interim tamen vini defectum cerevisia vel zythum è macerato frumento decoctū resarcit. Insulani & mediterranei agricultura pecoribusque victitant: unde fit ut hi reliquis frumenta, aliaque quæ

regio

regio copioſe profert, illi vero hiſce piſces ſubminiſtrent.

Regnum Sueciæ dividitur in Sueciam, Gothiam, Finlandiam, Ingriam, atque Eſthoniam: Suecia rurſum, in Sueoniam proprie dictam & Nordlandias diſtinguitur; Sueoniæ provinciæ ſunt Vplandia, Veſtmannia, Dalecarlia, Nericia & Sudermannia. Vplandia, ſede regum plurimiſque oportunitatibus clara, quæ reliquas antiquitus antecelluit, ab occaſu dividitur à Veſtmannia, Haga flumine à ſeptentrione, eam atque Geſtriciam Dalecarlus interlabitur fluvius. Ab ortu vero & meridie mari Svevico & Melero lacu alluitur. Solum habet fertile, frumenti optumi ferax, quod vicinis montanis, in metallis fodiendis occupatis, aliiſq; in maxima copia ſubminiſtrat. Lacus etiam habet plures, inter quos Melerus, plurimis pulcherrimiſque refertus inſulis, piſcatione quoque dives, præcellit. Nec deſunt mineræ, ferri præſertim & plumbi, alicubi etiam argenti, tametſi non adeo divites. Dividitur autem Vplandia in tres Folklandias, hoc eſt, trium populorum provincias, Tihundriam, Athundriam & Fiedrundriam. Tihundria, Vpſalia ſeptentrionalior, à decem præfecturis, in

in quas distributa est, nomen habet. Athundria inter Stocholmiam, Vpsaliam mareque interjacens ab octo; Fiedrundria, in qua sita est Enecopia, à quatuor, in quas distincta est præfecturas, nomen acceperunt. Vbi hoc etiam obiter addam; Quibusdam notatu dignum videri, prę fecturas Vplandicas cognominationé habere ab *Hundrat*, hoc est Centuria, ut *Erlinghundrat*, *Seminghundrat*, *Longhundrat*, *Lyhundrat*, &c. Vnde autumant, primorum, qui huc advenerunt, colonorum familias per centurias distributas fuisse; indeque cognomina præfecturarum in hodiernum usque diem mansisse. Vnde conjecturam capiunt, bis millenas ducentenasque in primorum huc adventantium exercitu fuisse familias. In reliquis autem provinciis præfecturæ nominantur *Härodh*, ab *Här*, quod exercitum, & *Ódh*, quod possessionem significat. Vnde opinantur; postquã in Vplandia præter regionis capacitatem excrevisset populi multitudo, cõscriptos fuisse exercitus, qui novas sibi quærerent sedes, locumque ubi consederunt cognominatum fuisse ejus exercitus possessionem, ut *Dägahäredh*, *Lystughhäredh* &c.

Vplandicarum civitatum, totiusq; regni

regni præcipua eſt Stocholmia, ſedes regia, regnique metropolis & emporium celeberrimum, in inſula quadam in faucibus Meleri, loco quidem ſatis oportuno, ſpectatoribus tamen ob vicinas rupes non admodum grato, ſita. quæ cum ob inſulæ anguſtiam tanti emporii cives capere non poſſit, ſubjecta habet ſuburbia ampliſſima: auſtrale in littore peninſulæ *Tören*; & boreale in Attundia ſitum. Plurima huic civitati præſtant navigationum commoditates emolumenta. Per Melerum enim lacum, ferrum, cuprumque, quod mediterranearum civitatum incolæ à montanis coëmunt; tum & triticum, ſiligo, hordeum, avena, legumina, butyrum, caſei, carnes, ſebum, coria pelleſque variæ, lignaque & alia hominum ſuſtentationi mercimoniiſque apta, facilime exportantur, extraneæque merces importantur. Mari autem vinum, ſal, oleum, panni ſericei, lanei, lineique, ſaccarum, aromata, alæque merces complures, quibus regio partim deſtituitur, partim ea ad ſufficientiam non profert, abundanter ex omnibus Europæ partibus advehuntur; ut ſileam quæ etiam à borealioribus provinciis magna copia aſportantur. Stocholmiæ

ſucce-

ſuccedit Vbſalia, quondam totius ſeptentrionis Regia, (unde Vpſala *Konung*, regius erat tum titulus,) & metropolis antiquiſſima, ſedes nempe Regia, ſacerdotalis & judicii ſupremi. Nunc vero ſedes Archiepiſcopalis, templo cathedrali celeberrimo, propinquaque arce pulcherrima, in prærupto colle, decorata. Sita eſt quaſi in medio umbilico Vplandiæ, ad ripas Salæ amnis, in lacum *Ekolen* illabentis, loco plano amœnoque. Anno 1235, regnante Erico Balbo, Archiepiſcopo Ierlero, Collegium quatuor Profeſſorum Vpſaliæ inſtitutum erat, ex quo poſtea, auctis omnium facultatum Profeſſoribus, Academia conſtituta eſt, ſingulari privilegio, eodem videlicet quo Academia Bononienſis, à Sixto IV Pontifice, anno 1476, donata. Quæ ſæpius ob temporum injuriam diſſipata, tandem anno 1595 à Carolo Nono, ſatis liberaliter, cum privilegiis, tum etiam reditibus decorata, priſtinæque conditioni reſtituta eſt. Modernus autem Rex GVSTAVVS ADOLPHVS, ſingulari quo erga literas literatoſque flagrat amore, ejuſdem Academiæ privilegia, Profeſſorum ſtipendiatorumque numerum ita auxit, ut cuivis Academiæ Europeæ par ſit; atque,

atque, ne incertis reditibus ſuffulta rurſum contabeſceret, ſingulari liberalitate, anno 1624, tantæ rei annuos ſufficienteſque deſtinavit ſumptus, è propriis bonis paternis allodialibus, quæ Regio diplomate in Academiæ perpetuam poſſeſſionem aſſignavit, eodemque privilegio, quo nobiles in hoc regno ſua poſſident bona allodialia, dotavit. Habet præterea Vplandia Enecopiam, Sigtuniam, Oregrundiamque oppida, mercimoniis quidem valentia, prioribus tamen non comparanda.

Veſtmannia Vplandiam fertilitate comitatur, ſed mineris vincit; Habet enim *Salbergh* argenti fodinam præſtantiſſimam; innumeriſque locis chalybis ferrique inexhauſtas venas: nec deſunt etiam cupri, plumbi, ſulphuriſque mineræ. Civitatum in ea præſtantior eſt Aroſia, vulgo *Weſteras*, ſede Epiſcopali temploque cathedrali, nec non & arce conſpicua, ubi magnam eſt videre cupri ferrique à montanis partibus allati copiam. Huic ſuccedunt Arbogia & Köping iiſdem mercimoniis, præſertim vero ferri, abundantes.

Dalecarlia Veſtmanniam mineris ſequitur, ſed cupro eam reliquaſque anteit,

anteit. ibi ſtupenda videas, quæ lucri cupiditas, imis in rupium viſceribus, immenſis & plus quam giganteis laboribus excavavit, pendentibus ac ruinam minantibus ſcopulis, horrida & non adſuetis viſu terribilia antra; quæ tamen aſſueti, ut opes irritamenta malorum effodiant, imperterriti adeunt. Reddit ea fodina, una cum cupro, & ſulphuris, aluminis, vitrioliique plurimum. Aqua etiam quæ inde exhauritur, ferrum in cuprum præſtantiſſimum tranſmutat, deſiderata tantum ponderis, ſi minutum fuerit ferrum, parte quarta; ſin vero denſius, tertia. Regionem ei operi aptiſſimam natura effinxit; tota enim ſylvis amniumque ſcaturiginibus frequens eſt. Fert etiam & frumenta, ſed non ad ſufficientiam; nam metalla effodientes, ob aſſiduos labores & vigilias, aliis multo ſunt voraciores. Efflagitant etiam metallorum effoſſiones operarios plurimos; ideoque Deus populoſam fecit regionem, hominesque laborum, quam ullos alios, tolerantiores.

Nericia etiam argenti, ferri, ſulphuriſque venas habet; ſed argenti fodinæ quia alibi fertiliorum eſt copia, inculta jacent; ſulphuris venæ valde ſunt

lucrosæ. Præter sulphur enim proferunt & aluminis vitrioliq; maximam copiam. Incolas omnes natura ipsa fabros ferrarios exquisitissimos fecit, omnis generis utensilia ferrea reliquis provinciis copiose subministrantes. Civitatem unicam habet Orebrogiam.

Sudermannia neque mineris caret: frumenti quoque optimi, præsertim locis Melero lacui conterminis, ferax. Civitas præcipua est Nycopia emporium, pulchra arce, in qua sedem fixit Dux Sudermanniæ, decorata. Strengnesia, Episcopalis, templum habet cathedrale, CAROLI IX sepultura clarum. Sunt & Telga, *(super australi parte lacus Meler, ut scribit Zieglerus)* Torsiliaq; & Trosa oppida, mercimoniis non contemnendis gaudentia.

Nordlandicę provinciæ sunt Gestricia & Helsingicæ regiones. Gestriciam ab Helsingia Oedemord sylva dirimit. Regio ferri mineras habet, frumenta etiam ad colonorum sustentationem ministrat. Civitatem unicam habet Gevaliam, oportuno loco ad sinum maris sitam, per quem omnis generis merces facillime exportantur & importantur. Neque à Cuprimonte longiori, quam sesquidiei itinere distat.

Hel-

Helſingia olim nomen generale erat, reliquas ſeptentrionaliores provincias complectens. Extant enim adhuc literæ Canuti Ionſon Archidapiferi, anno Chriſti 1328 in Parlamento Telgis habito datæ, quæ teſtantur, terminos Helſingiæ ab aquilone antiquitus fuiſſe in flumine Vla, & lacu *Vlatresk*, qui iam in borealibus Cajaviæ partibus ſiti ſunt. Helſingiam olim regni titulum, proprioſque habuiſſè reges, Scanzianæ commemorant hiſtoriæ; donec Ingellus Vpſalienſis Rex, Olavi Treteliæ Vermelandorum Regis parens, in coronatione ſua, incendio conſumpto ultimo Helſingiorum rege, una cum aliis quinque regibus, eorum regna Vpſaliæ regibus ſubjecit. Helſingiæ regibus olim paruiſſè Iamptiam, refert Saxo lib. 5. Antiqua quæ apud Helſingios extant monumenta, teſtantur eos olim proprias habuiſſè literas à reliquis Runis plane diverſas, quarum ne una quidem duplici conſtabat ductu. ſuntque ejuſmodi:

Fortitudinis ſuæ Helſingii æterna poſuerunt trophæa, cum liberata ab exterorum ſtrage patria, iiſque ultra fretum *Oreſund* propulſatis, ad ejuſdem

freti ripam, à se denominatum, condiderunt Helsingburgum. Eosdem etiam adversus Finnones, Cajanos, Carelioſque atrociſſima geſſiſſe bella, eoſque ſedibus expuliſſe, cum veteres teſtantur hiſtoriæ, tum etiam ipſæ quas priſcis temporibus in illas oras tranſportarunt, coloniæ; quarum etiam in hodiernum uſque diem durant reliquiæ. Quis enim ignorat, Cajaniæ Finlandiæque ſeptentrionalis maritimos colonos pleroſque Helſingice loqui? Quem etiam fugit, Nylandios ex Helſingia oriundos, Careliorum fines accolentes, pulſis Finnonibus & Careliis, illorum ſedes occupaſſe, hodieque Helſingico idiomate uti, ſuoque de nomine Helſingeby & Helſinga parœciam reliquiſſe? unde poſtea nomen manavit oppidi Helſingfors. Quod & illorum fama priſcis temporibus, antequam Chriſtianam amplectebantur religionem, apud exteras inclaruiſſe nationes, teſtantur Gregorii Papæ & Ludovici Pii anno Chriſti 835 datæ literæ. Incolæ reliquis Suecis hoſpitaliores ſunt, cunctarumque diſciplinarum artiumque capaciſſimi, literarumque præ reliquis adeo amantes, ut quamvis Scholæ publicæ apud illos ſint rariſſimæ, tamen qui literas didice-

didicerunt, reliquos tanto ſtudio privatim inſtituunt, ut vel commune vulgus curvuſque arator, maximaque ex parte literas norit. Natura tamen magis ſunt ſimplices, quam aſtuti. Præ cæteris etiam domorum munditiem amant. Sed hæc de Nordlandicis provinciis in genere dixiſſe ſufficiat; nunc in ſpecie ſingulas antiquæ illius Helſingiæ partes ſigillatim luſtrabimus. Ejus coloni partim ſunt nativi Helſingii, partim Lappones. Illorum provinciæ ſunt, Helſingia nunc proprie ſic dicta, Medelpadia, Angermannia & Bothnia; horum vero Lapponia.

Regio illa quam nunc proprie Helſingiam vocant, olim, ut ex Helſindicis legibus patet, *Sundhede* nominabatur; quod nomen etiam hodie in ejuſdem provinciæ ſigillo remanet, habet enim inſcriptionem talem: Sigillum communitatis in *Sundhede*. Diſtribuitur autem in tria territoria, Aloram videlicet, quam Liuſna fluvius irrigat: *Sundhede*, per quam mediam Dil lacus flumenque elabitur: & *Nordſtigh*, ſylvæ *Arskog* conterminam. Quandoquidem autem *Sundhede* regionis mediam potiſſimamq; partem comprehendebat, ab ea tota provincia

denominationem cœpit. Regio glebam satis habet fertilem; pecoribus etiam abundat; sunt enim incolæ rei bucolicæ præ cæteris dediti: linificium etiam aliasque manuales & mechanicas artes studiose exercent: neque piscationes in mari, fluminibus, lacubus negligunt. Civitatem habet Hudingsvaldiam, cujus cives, cupri, butyri, sebi, coriorum, pellium, picis, resinæ, malorum, trabium, asserumque abiegnorum maximam copiam in exteras nationes transportant.

Medelpadia fere ejusdem cum Helsingia conditionis est, nisi quod arctior, sylvisque ac montibus frequentior. Duos habet fluvios variorum piscium, salmonum præsertim captura insignes. Existimant quidam, Helsingiæ reges suam aliquando ibi sedem fixisse.

Angermannia montes rupesque habet plurimas: convalles autem locaque planiora adeo uberem habent glebam, ut quamvis iidem agri quotannis serantur, tamen vix decimo quoque anno stercorationem expetant: frumentaque nihilominus reddant in suo genere præstantissima, si alioquin non admodum iniqua fuerit anni temperies, ut ad perfectam matu-

maturitatem fruges pervenire possint. Quare dubium non esset, si regiones miti cœlo subjectæ, tale haberent solum, eas uberiores multoque præstantiores fructus edituras. Angermannum fluvium habet, inter præcipuos famosum, varia piscatione, salmonum præsertim, divitem. Regio quasi in duo brachia dividitur: meridionalior enim pars à mari secus prædictum flumen, versus occasum æstivum protenditur: borealior autem secus mare: utramque sylva, à prærupto, horribili illo ac quasi ruinam minitante Scula monte denominata, dirimit. Civitatem unicam habet, Hernosandiam, excepto cupro iisdem cum Hudingsvaldia mercimoniis gaudentem.

Bothnia non æque montosa est atque Angermannia: sed solum habet quibusdam in locis arenosum: quod quidem una cum rigiditate cœli, messis ubertatem impedit. Sed ejus & tenuitatem & defectum, aliarum rerum necessariarũ compensat copia. Bothniam multi irrigant magni fluvii, diversorum piscium speciebus, maxime autem salmonibus abundantes. Civitatem quidem non habet, sed singulæ paræciæ quasi singula sunt emporia. Etsi enim vicina Lapponia frugibus

aliiſque ejuſmodi rebus caret, abundat tamen piſcibus, variorumque animalium venatione & precioſis pellibus. Bothniæ coloni, ii præſertim quos Byrcarlos vocant, quæ Lapponibus aliiſque ſunt neceſſaria, à mercatoribus illuc navigantibus æſtivo tempore coemunt; hyberno autem cum lacus & flumina congelata ſunt, ea in Lapponiam exportant, referuntque ingentem piſcium, gelu in modum baculi induratorum, variarumque pellium, & id genus aliarum rerum copiam.

Lapponia ſeptentrionalium provinciarum extrema, regio eſt latiſſima, ſylvis, montibus, paludibus, lacubus, fluminibuſque frequentiſſima. Agros nullos habet; pabula tamen quibuſdam in locis largiſſima. Incolæ venatione, aucupio, piſcationeque victitant. Villas aut pagos certamve manſionem non habent. Sed, ut fert commoditas piſcationis & venationis, per aliquod tempus, apud lacum, flumen, ſylvam, vel montem aliquem commorantur, exactiſque ibidem aliquot vel ſeptimanis, vel diebus, habitationem alio ad lacum commodiorem transferunt. Hyeme tamen cum tributa ab illis exigenda ſunt, certis quibuſdam locis, certoque tempore, quaſi

in

in hordas congregantur: ubi etiam mercatores illi, quos Byrcarlos nominari dicebamus, suas exponunt merces. Illo etiam tempore sacerdotes adsunt, qui illorum infantes baptizant, articulosque fidei aliaque Christianæ religionis exercitia Lapponibus proponunt, examinantque anno sequente quod priori illos docuerant, rationem poscentes christianismi. Templa, in quibus sacra peraguntur, Carolus IX iis locis ædificari fecit. Lappones olim, quam nunc magicis superstitionibus magis dediti erant. Postquam enim Euangelii lux apud illos illucescebat, qui illam amplexi sunt, à superstitionibus abhorrere cæperunt. Maximaque pars Lapponum magicis superstitionibus caret, suntque homines simplices, probi, nec à bonis moribus abhorrentes. Sunt enim apud illos adulteria rara, homicidia rariora, facta autem rarissima ac pænè inusitata. Ita ut consuetum sit, non modo Lapponibus, verum etiam mercatorib⁹, suas merces illinc transportantibus, eas stragulo saltem contra nivium injuriam obtectas, sine aliquo custode, sub dio relinquere, proq; negotiorum expeditione ad alias hordas longissimo itinere abire, nullamque prorsus cu-

ram habere, ne vel loco moveantur, nedum auferantur. Sunt etiam agiles, atque in manualibus artibus pro ſua conſuetudine ſolertes. Veſtimenta, ut plurimum, è pellibus hirſutis villoſiſque conficiunt, vel ex panno laneo advectitio. Linum non habent, ſed ejus loco, ab exſiccatis animalium nervis, tuſiſque ac in modum lini paratis, fila nent, quibus veſtes conſuunt; ac ne deſint ornamẽta acu picta, ſtannum in modum auri in tenuiſſima ducunt fila, iiſque ſupra dictos nervos inveſtiunt: quibus deinde veſtes ſolenniores ſuo more acu pingunt. Pro domibus ex betulæ arboris corticib⁹ cõſutis utuntur tentoriis. In quibuſdam Lapponiæ montibus etiam gemmæ inveniuntur, utpote adamantes, amethiſti, topaziique.

Lappones noſtro ſeculo tribus parent Regibus, Sueciæ videlicet, Norvegiæ & Ruſſiæ. Lapponiæ maxima pars, meridionalis videlicet, & mediterranea, ad regum Sueciæ tota pertinet; regio vaſtiſſima à gradu latitudinis LXIIII ad LXXI extenſa, in longitudine ultra centum miliaria Germanica complectitur, in latitudine vero nonaginta. Hæc in quinque territoria vel præfecturas, Lapmarkias vocatas, divi-

dividitur, videlicet Vmalapmarck. Pitalapmarck, Lulapmarck, Tornelapmarck, & Kimilapmarck: quarum incolæ nulli, præterquam Regi Sueciæ, tributa pendunt. Ad Norvegiam pertinet tractus saltem maritimus, secus Oceanum, quem Finmarchiam nominant, cujus incolæ Siofinni, id est Finnones maritimi, vocantur, quod sola piscatione victitant. Ruthenorum imperio parent reliqui, tractum illum à castro Vardhus usque ad ostia maris albi incolentes. Quæ regio Svecice Trennes, Lapponice Pyhinienni, Ruthenicè verò Tarchana voloch hodie appellatur, quam quidem putant eandem esse, quam Veteres Biarmiam appellarunt, quod nomen detortum videtur à Finnonico Varama, quod montosam regionem significat.

Scricfinnia, quam Saxo Sialandicus aliique veteres hic uspiam posuerunt, nulla est. Sed Skidhfinnorum appellatio omnibus Finnonibus Lapponibusque competit, qui soleis illis ligneis, quas nostri Sueci Skidh, Finnones vero Suksi vocant, solent uti, celerrimeque super altissimas nives currendo feras insectari, hostemque insequi, institutumve iter peragere possunt. Cujus rei peritiam maxima pars Nordlan-

landicorum populorum omnes Finnones Lapponesque habent. Quæ certe res Suecis, in bellis hyemalibus, cum regiones totæ nivibus oppletæ sunt, sępissime facilimam præbuit hostium deletionem: Hostes enim è via ne latum pedem excedere valent, quin continuo & equites & pedites toti nive obruti, cum nivibus certare & quasi natare cogantur: cum Skidhkarli, qui soleis illis ligneis vecti, ceu volantes, in eos ex omni parte irruere possunt, ac jacentes ut libet vel telis vel armis conficere. Cujus rei non obscurum exemplũ, etiam nostra memoria, paulo ante obitum Iohannis tertii Sueciæ regis, accidit; cum Ruthenus centum millibus armatorum stipato exercitu, Finlandiam ex improviso devastaturus occupaturusque irrupit, nullo tum Suetico milite in Finlandia præsente; tum sexcenti tantum rustici, è Ieskis & Europe, soleis illis ligneis vecti, totum ejus exercitum dissiparunt, retrusérunt, atque in Russiam fugarunt.

Sequitur in nostra methodo Gothia, quam à Suecia Kolmord & Tydhvveth sylvæ dirimunt. Suecorum nomen (inquit Cranzius) domi atque apud vicinos, Gothorum vero apud exte-

exteros ſemper clarum extitit. Hæc eſt patria & genitale ſolum, unde egreſſi ſunt domitores gentium Gothi, quorum præluſtrium facinorum gloriam ſibi omnes circumjacentes arrogare nituntur populi. Nuſquam autem Regnorum & populorum (ut noſtræ loquuntur leges) fixum aut ſtabile reperitur Gothorum nomen & habitatio, præterquam in regno Sueorum: eo quod ex iiſdem diſperſum eſt Gothorum nomen in aliis regnis. Cui ſententiæ etiam unanimiter ſubſcribunt veteres, qui res Gothicas poſteritati tradiderunt, ſcriptores, ut paſſim videre eſt in Reſendi Hiſpania illuſtrata. Sed Germanorum aliorumque recentiores ſcriptores, ut Gothorum rerum geſtarum gloriam aliqua ratione ſibi arrogare viderent, Scandiam, in qua ſita eſt Gothia, Germanicis inſulis adnumerarunt. Teſtantur autem non tantum veteres ſcriptores, Gothos è noſtra Scandia exiviſſe, verum etiam plurima noſtratium, quæ antiquis temporibus cum Gothis in Græcia & Thracia habitantibus fuerunt, commercia & quaſi neceſſitudo quæda[illegible]. Exiverunt enim hinc ſæpiſſime plurimi, ut affines conſanguineoſque ſuos ibi habitantes in-

viſe-

viſerent. Idem etiam factum eſſe poſtquam Gothi in Italiam venerunt Iornandes teſtatur, commemorans, Rudolphum quendam Scandiæ Regem relicto proprio Regno, Theodoricum Gothorum in Italia Regem viſitaſſe. Erat autem idem Rudolphus, ut noſtræ teſtantur hiſtoriæ, Suecorum Rex in ordine 85. Refert etiam Volffgangus Lazius, ex his ſeptentrionalibus inſulis multas amplas quotidie manus, ad populares ſuos, Viſogothos Galliam incolentes, & Oſtrogothos in Illyrico & Italia egreſſas eſſe. Sed non illo tantum tempore quo in præfatis habitabant Regionibus; verum etiam ante excidium Trojæ, cum Gothi adhuc in Thracia habitarent, plurimæ ad illos ſubinde tranſmigrarunt copiæ; Quas quidem expeditiones non inviti ſuſceperunt, ſed ſympatriotarum in exteris nationibus ſucceſſu, rerumque geſtarum gloria allecti, certatim quaſi evolarunt. Quod videntes Sueciæ Gothiæque Reges, ne eorum ditiones habitatoribus evacuarentur, circa præfata tempora, vel paulo poſt, leges rogarunt, quibus cavebant, ne quis patriam relinquens aliquam in ea caperet hæreditatem; ac cum incertum eſſet de emigrantis

apud

apud exteros morte, ne de ejus bonis inter hæredes intricatæ orirentur contentiones, exiens ab hora exitus pro mortuo habebatur, ejusque hæreditatem capiebat qui ei tunc consanguinitate vel affinitate erat proximus. Extant etiam hodie apud nos plurimi ingentes cippi, quorum inscriptiones testantur, eos in memoriam insignium quorundam Heroum, qui in Græcia vel Thracia, aliisque regionibus, quas Gothi sua infestarunt inundatione, belligerantes, occubuissent, erectos esse. Apparet quoque ex historiis, Gothos, etiam postquam suum in Hispania Imperium firmassent, familiaritatem quandam habuisse cum Gothis in Scanzia habitantibus: cujus non obscurum testimonium est, quod comites Scanziarum, Adulphus, Erantius, Fandila, Aphrila & Venedarius concilium Toletanum octavum subscripserint. Non videtur autem verisimile, quod ex supra dictis Lazius colligit, nempe extraneis Gothis primævas sedes subjectas fuisse, etsi sub alio cardine constituti fuerint. Quod vel superius commemoratæ leges solæ refellere posse videntur. Si enim extraneis Gothorum Regibus aliqua fuisset in internos potestas, nequaquam sufferre

ferre potuiſſent, eos in patria exhæredari, qui eorum caſtra in exteris ſequebantur nationibus. Verum ego potius cum Alphonſo Carthagena contrarium affirmarem: dicit enim; Licet Gothi ad gentes alias ſæpius ſe vertiſſent, rectores tamen ſuos in Scythia dimittebant, penes quos gentis regimen conſiſtebat. Quænam autem ſit illa Scythia, ſine ambagibus explicat Rodericus Sancius, dicens: Circa originem itaque Gothorum, Iſidorus ipſe & cæteri ſcribentes, in eo conveniunt, videlicet Gothos ex inſula Scandia, ſcilicet Scythia ſeptentrionali, ortum habuiſſe. Summam autem eorum, quæ Gothi extra patriam poſt Alexandri Magni tempora patrarunt, A. Krantzius, Sueciæ lib. 1, c. 1, his verbis fere complectitur: In longinqua militia Gothorum gloria ſublimibus inclaruit titulis: quod Romanis rerum dominis, diu ea gens colluctata, aliquoties quidem repreſſa quievit, aliquando magis ſe Romanorum cladibus vindicavit, nonnunquam pari manu conflictans deceſſit. Demum Romanorum proculcans imperium, Italiam pervaſit, urbem Romam vaſtavit, in eadem Italia Regnum multis annis tenuit: Gallias occupavit, in Hiſpa-

Hiſpaniis regna fundavit, & ex eo ſanguine nobiliſſimas domos principum erexit. Qua in re Romani ſcriptores (pace illorum dixerim) non tam in barbarorum, ut ipſi vocant, quam in ſuorum laudibus profuſi ſunt. Hæc ille. Sed relictis Gothis extraneis, ad indigenas Gothiamque ipſam revertamur.

Gothia, ut Iohannis Magni verbis utar, inter duas potentes & nunquam ſatis concordes gentes Sueones & Danos ſita, ne hoſtibus obſeſſa, utrumque latus tueri continenter cogeretur, perpetuam ſocietatem cum Sueonibus, ſive quod potentia & opibus præſtarent, ſive quod eorum mores mitiores eſſent, inire curavit. Hæc ille. Vnde ab illo tempore quo Monarchia in Regnum Sueciæ introducta eſt, utraque gens, Sueci videlicet & Gothi, ut plurimum uni paruerunt Regi; & ita quaſi in unam gentem coaluerunt; quamvis aliquoties ob virtutum æmulationem, Reges ſibi ſeparatim præfeciſſent. quæ tamen ſimultas non diu duravit, quin ad priſtinam redeuntes concordiam communibus armis communes arcerent hoſtes. Sed admiratione certe non indignum videtur, Gothos (qui in exteris natio-

nibus ob fortitudinem bellicam adeo fuerunt clari, ut toti fere Europæ formidabiles extiterint) Suecis in patria adeo ceſſiſſe, ut antiquiſſimæ Veſtrogothorum leges affirment, penes Suecos jus eſſe Regem in utroque Regno tum eligendi, tum rejiciendi.

Dividitur Gothia in occidentalem & orientalem. Gothiæ occidentalis provinciæ ſunt, Veſtrogothia, Dalia & Vermelandia, cui olim adnumerabatur & Hallandia.

Veſtrogothia regio eſt plana & fertilis; cedit tamen fertilitate Vplandiæ, Veſtmanniæ & Sudermanniæ: quemadmodum hæ viciſſim Veſtrogothiæ pecorum abundantia. Vt enim illarum colonis præcipua lucra ſunt ex agricultura: ita hujus à pecoribus. Fluviorum quidam verſus ſeptentrionem in lacum Vener illabuntur, ut Tida, Lida, Nos, qui rurſum per magnum illum Trolhettam fluvium, duobus oſtiis, apud *Elfſborg* & *Kongelff* in Codanum ſinum exoneratur: quidam vero verſus meridiem in eundem ſinum, ut Eda & *Viſk*. Civitates habet Gotheburgum emporium, Scaram Epiſcopalem, Mariæſtadium, Lidecopiam. Habet & oppida Falecopiam, Skedvi, Hio, Bogeſund, Bret-

Brettam & Ludosiam veterem.

Dalia inter lacum Vener & Norvegiam sita, plerisque in locis montosa est. Habet autem lacus & fluvios piscosos; pascuorum etiam ubertate gaudet singulari, unde & armentosa est, bovesque cæteris grandiores profert.

Vermelandia inter Gothicas regiones postremo exculta est, colonias illuc primum ducente Olavo Tretelia. Regio montosa & sylvosa est, ferri mineras habet, cuprique venam satis divitem, nuper inventam; lacusque piscosos, fluviosque salmonum captura nobiles. Civitatem habet Carolostadium, à Carolo IX in loco prius Tingvalla nominato conditum. Hallandia secus Codanum sinum extensa Vestrogothiam ab eo sejungit. Ejus civitates sunt Halmstadium, Laholmia, Falkenburgum & Varburgum, præcipua iis mercimonia suppeditantibus Vestrogothia & Smalandia, à mari sejunctis; cum ipsa Hallandia alicubi vix sesquimiliare habeat in latitudine; tria vero ad summum, ubi est latissima. Nostra tempestate paret Regi Daniæ.

Gothiæ orientalis provinciæ sunt: Ostrogothia, Smalandia & Oelandia.

quibus olim adnumerabantur & Gotlandia, Scania & Bleckingia.

Oſtrogothiam à Veſtrogothia Veter lacus dirimit, ejus vero orientale latus mare pulſat Svecicum. Regio majori ex parte plana eſt, fertilitate cæteras provincias antecellens: qua eam etiam ipſam ſuperare Vplandiam quidam autumnant; inde conjecturam capientes, quod ex ea major frumentorum copia ad exteras tranſportatur regiones, quam ex Vplandia: non autem perpendentes ingentem quam Vplandia frumẽtorum copiam montanis, metalla fodientibus, ſuppeditat. Sed ſiquis penitius animadverterit utriuſque provinciæ colonorum ad ſementis proportionem, annuas quas ſufferre poſſunt, expenſas, certius ea de re judicium dabit. Eſt tamen inter reliquas Sueciæ provincias amœna, cunctiſq; commoditatibus ad humanæ vitę ſuſtentationem neceſſariis (vino & ſale exceptis) dives. Habet enim præter frumentum optimum, pecorum abundantiam, nec deſunt mellificia, variarum ferarum venationes, aucupia, piſcaturæque, & alia, quæ ſingula enumerare locus vetat. Nec caret mineris, in montanis Godegard, Helleſtaberg & Vongaberg. Ejus civitates

vitates ſunt, Vadſtenum, arce, cœnobioque Divæ Brigittæ celebre. Habet præterea Scheningiam, olim claram, nunc in oppidi formam redactam; Lincopiam Epiſcopalem, Norcopiamque ac Sudercopiam emporia.

Smalandiam ab Oſtrogothia Holavedh ſylva diſterminat. Regio ampla ſatis, utpote quæ in circuitu 95 complectitur milliaria Germanica: Ejus vero tractus majori ex parte ſylvoſus eſt: Gleba tamen colonorum labores ſatis ubere compenſat fœcunditate, æquali videlicet fertilitate cum vicinis provinciis Scania & Bleckingia. Pecoribus abundat, unde & denominationem traxiſſe videtur: pecora namque ſua lingua Smala vocant, unde Smalaland, terra pecoribus abundans, quod nomen uſus contraxit in Smaland. Cumque reliquæ Sueciæ provinciæ, iis ſolis locis exceptis, ubi fodiendis metallis invigilant, incolis pecora ad ſufficientiam ſubminiſtrent: Smalandi, ut quadrupedum, ex annua fœtura, gregum incrementa relevent, maximam quotannis armentorum copiam in vicinam Daniam vænundant, unde non parum augentur famoſæ illæ boum myriades, quas Dania quotannis Germaniæ Belgioque

ſubminiſtrare perhibetur. Lacus piſcoſos pæne habet innumeros, inter quos tamen præcipui ſunt Bolm, Vioſtez, Möklen & Aſnan. Fluviorum præcipui ſunt Nyſlea, Laga, Helga, Marboa & Æm. Regio in plures partes dividitur, quarum tamen præcipuæ ſunt Tieherad, Verendia, & Tiuſtia, Finheidia,& Mauringia Longobardorum expeditione à Paulo Longob. celebrata: quæ plura ſub ſe complectuntur territoria. Verendiæ autem ab antiquo tempore ſingularia fuerunt jura reliquorum legibus diſcrepantia, quæ hic, cum multis aliis, brevitatis cauſa omitto. In Tiuſtia ſunt cupri mineræ nuper inventæ. In Taberg mineræ ſunt chalybis, effodiuntque paſſim locis paludinoſis atque ex lacubus expiſcantur ferri quandam inconditam maſſam, quam parvo labore ſumptuque in ferrum optimum excoquunt. Civitates pro ſua amplitudine non adeo multas habet, cum à meridionali parte cingatur Hallandia, Scania & Blekingia: quarum civitatibus maritimis mercimonia ex internis mercibus ſuppeditat; rurſumque ab iiſdem externas merces accipit. Habet tamen Calmarniam, Ienecopiam, Vexio Epiſcopalem, Ekeſiö & Veſtervik.

Oelan-

Oelandia insula amæna & fertilis, pecorumque ac jumentorum dives, equos etiam sylvestres alit. Nec desunt Venationes & Aucupia. Arcem Burcholm & Ecclesias habet triginta duas. Gotlandia insula pecorum dives est, habet & abietum frequentissimas sylvas, nec non & lapides ad structuram utiles. In ea est civitas Visby; olim, cum Regno Sueciæ parebat, emporium celeberrimum; nunc autem in oppidi formam redacta. De hujus insulæ, sicut etiam de Scaniæ, Hallandiæ & Blekingiæ dominio, inter reges, armis, inter scriptores vero, calamis, diu varieque certatum est; aliis jus, aliis vero præscriptionem prætendentibus; quorum controversias brevitatis causa non attingo. Parent autem hodie regi Daniæ. Scania frugibus atque pecoribus apta, sylvis, venationibusque gaudet. Huic etiam quidam auri, argenti, æris & plumbi inexhaustas attribuunt venas, nusquam ibi repertas, nisi illam forte commemorare velint auri argentique venam, quam vicini suppeditat freti telonium. Sed condonandum est illis, quod Scanziæ vel Scandiæ, ejusque particulæ Scaniæ discrimen non animadverterint. Ab hac quasi bra-

chium quoddam ſecus mare, verſus ortum extenditur Blekingia.

Abſoluta Gothia, ſequitur in ordine Finlandia, quam quidam quaſi pulchram terram ſic dictam autumant: ratione adferentes quod ea regio undequaque amænior ſit Svecia, melioreſque fructus proferat, minuſque ſit montoſa & paludinoſa. Quæ denominationis ratio, ab aliquo, qui neutram aut alterutram provinciam unquam peragravit, conficta videtur. Finnones autem ipſi patriam ſuam Somi, à ſquamis, quibus eorum domus, ob piſcium frequentem capturam, conſperguntur, vel ſooma vocant, à paludibus denominantes. Sveci vero antiqui, quod à Finnonibus, cum proprios habebant Reges, ſæpius infeſtabantur, terram ab hoſtilitate Fiendeland vocarunt, quod uſus poſtea contraxit in Finland. Regio frugibus, pecudibus, jumentis, piſcatione, aliiſque ad humanam ſuſtentationem neceſſariis dives. Homines ſunt laboris patientiſſimi; Eos Iornandes affirmat olim fuiſſe omnium Scanzianorum mitiſſimos, cum hodie videantur aliquanto duriores. Linguam Finnones peculiarem habent, à reliquis Scanzianorum populorum linguis plane diver-

diversam, quæ cum aliquot habeat proprietates, reliquis Europæis linguis non communes, eas hic obiter recensere libuit. Primo enim in tota sua lingua carent litera F. neque ullam habent dictionem, quæ incipitur à B. D. vel G. vel à duabus consonantibus. Quæ res Finnones ad discendum alias linguas inhabiles facit, nisi hoc vitium ab ineunte ætate arte corrigatur. Si enim in pueritia non addidicerint aliam linguam, adultiores facti non possunt discere pronunciationem earum vocum quæ à prædictis literis, vel à duabus pluribusve consonantibus incipiuntur: sed priores consonantes semper elidunt, ut pro Grex dicant Rex, pro Gratus, Ratus, pro spes, pes, prodere, rodere, strepere, repere, &c. Pro bonus dicunt ponus, pro dominus, tominus, pro guberno, cuperno, pro filius vvilius. Ideoq; nobiles, mercatores & sacerdotes, rustici etiam ditiores curant, ut eorum filii ab incunabulis Svecicam discant linguam, eaque ratione eos ad aliarum linguarũ proprietates pronunciationemque sese accommodare assuefaciunt. Secundo in tota sua lingua, nulla omnino observant genera, sed unicum tantum habẽt articulum se, qui utrique sexui,

omnibuſque generibus attribuitur, ut, ſe Mes, hic vir, ſe VVarmo vel Naine, hæc mulier, ſe Aelehin, hoc animal. Ideoque niſi Svecicam vel aliam in juventute didicerint linguam, difficillime in aliis linguis diſcunt obſervare diſcretionem ſexus & generum; eamque aut prorſus omittunt, aut inconvenientem apponunt. Quæ tamen iſtius linguę proprietas, maximo eſt adjumento extraneis Finnonicam linguam addiſcentibus, quo citius eam diſcant. Quod enim in aliis linguis diſcentibus ſolet eſſe difficillimum, in ea prorſus omittitur. Tertia ejus proprietas eſt, quod voculæ quæ in aliis linguis à præponendo præpoſitiones vocantur, in Finnonica lingua ſemper poſtponuntur. Rythmos præterea nõ à ſimili vocum finitione, ut reliquæ gentes, ſed à ſimili binarũ ternarumq; vocum initio obſervant, octonis verſum ſyllabis claudẽtes. Sed de his ſatis. Habuerunt Finnones olim Reges proprios, atque plurima cum Svecis bella geſſerunt, donec tandem à Divo Erico Sveciæ Rege, circa annum Domini 1150 ſubacti, Chriſtianamque fidem ſuſcipere coacti ſunt. Non autem totam is Finlandiam ſubegit, ſed poſt eũ Birgerus Ieri Tavaſtiam : Turgillus vero

vero Kuntsſon Careliam regno Succię adjecit, caſtrumque Viburg, ut eos in obſequio contineret, Ruthenorumq; irruptiones prohiberet, circa annum Domini 1193 condidit.

Dividitur Finlandia in meridionalem & ſeptentrionalem, Cajaniam, Savolaxiam, Tavaſtiam, Nylandiam & Careliam.

Meridionalem à ſeptentrionali Finnonia Aujaroki fluvius, Abo civitatē Epiſcopalem præterlabens, diſterminat. Ea ſecus ſinum Finnicum verſus ortum protenditur. In occidentali partę veterem habet arcem Guſto; nunc dirutam. In orientali arcem ditionemque Raſeborgh.

Septentrionalis Finlandia ſecus Bothnicum ſinum, ad arcton protenditur, utramque Satagundiam, Viemo & Maſco complectens: famoſumque flumen, ſalmonum variorumq; aliorum piſcium captura nobilem habet, Cumo-*elff* dictum, circa civitatem Biorneborgh in mare illabentem. Inter præfectum Biorneburgam & Abo oppida ſunt Raumo, Nyſtadh & Nadhendal, ubi olim monaſterium erat celebre, Vallis gratiæ nominatum.

Cajania, quæ & Bothnia Orientalis, fluvios habet multos, inter quos

tamen

tamen præcipui sunt Kimi*elff*, regionẽ à Bothnia separans, Ijo*elff* & Vla*elff*. Nuper condita habet oppida Vla & Vasa: nec non castra, Cajaneburgum & Vlaburgum.

Savolaxia plurimis lacubus fluviisque scatet, qui pœne omnes per Voxen flumen in Ladogam lacum exonerantur. Hi cum Ladoga lacu, inter Scanzianos lacus, soli vitulos marinos vel phocas alunt. Suntque præterea variorum piscium abundantia divites, luciorum præsertim, quorum induratorum copia maxima Viburgũ transportatur. Arcem habet munitissimam, *Nyslott* vel castrum novum appellatam; anno 1475 à quodam regni aulæ magistro Erico Axelson conditam, atque Divi Olai arcem ab eo cognominatam.

Tavastia mediterranea regio, ab occidente Finnoniam habet septẽtrionalem, à septentrione Cajaniam, ab ortu Savolaxiam & Careliam, à meridie vero Nylandiam, ditionemque Raseborg. In ea est insignis ille lacus Pejende. Arcem Tavasthiæ vel Tavasthus condidit Birgerus Ieri, anno Domini 1250, ut Tavastios, quos regno Sueciæ adjecit, Christianamque religionem suscipere coëgit, in obsequio retineret.

In

In hujus provinciæ ſeptẽtrionali parte, Rautalambi vel ferri paludes ſunt, ubi incolæ ferri inconditam quandam maſſam ex imis lacuum fundis expiſcantur, undè minimo labore impenſiſque ferrum variis uſibus aptum conflant.

Nylandia ſic dicta, non quod olim nullos habuiſſet cultores, ſemperque inculta jacuiſſet, ac nuper inhabitata ſit: ſed quod ejus coloni, qui eam modo inhabitant, reſpectu reliquorum, nuper ad ea loca pervenerũt. Helſingii namque aliiq; Sueci, ut ſuperius commemoravi, illuc ſuas deduxerunt colonias. Pagorum enim reliquorumque locorum nomina pleraque teſtantur, Finnones Carelioſque ibi prius habitaſſe. Glebam ſatis habet uberem, nec non & piſcationes, aucupia, venationeſque opimas. Oppida habet Borgo & Heſingfors.

Carelia Scanziæ latus orientale claudit, duobuſque fluviis, altero nomine Pinſyoki, verſus ſeptentrionem, per Vigoozero, in ſinum album; altero vero Pouevetz in Onega lacum illabente, à Ruſſia dividitur: Eaque ratione Scanziam quaſi peninſulam reddit, iſthmo ſaltem trium milliarium Germanicorum relicto, Maanſelke nominato.

nato. Regio vastissima, olim totum illum tractum, qui inter Kymene fluvium, vel Pejende lacum ac Onega ejusque fluvium Sueci, qui circa Sermax in Ladoga lacum exoneratur, ac denique Nievam fluvium, è prædicto lacu in sinum Finnicum illabentem, interceptum, una appellatione complectebatur. Regionis denominatio innuere videtur, ejus incolis olim à pecoribus vel armentis victum suppeditatum: Caria enim Finnonice pecudes vel armenta significat, unde Carialain gentile, in terra pecoribus abundante natus, vel pecoribus victitans. Cum Finnones proprios habebant reges, Carelia tota ad Finlandiam pertinebat. Postquam autem Sueci Finnones assiduis bellis defatigare, Finlandiæque provincias (uti commemorabamus) pedetentim sibi tributarias facere conabantur, Rutheni, ne sibi Suecorum vicinitas formidabilis foret, crescenti potentiæ occurrere statuerunt, Careliamque occuparunt; De cujus Dominio postea diu varioque Marte inter Suecos Ruthenosque certatum est, Suecis eam aliquando totam occupantibus, Ruthenisque eos rursum reprimẽtibus, donec Magnus, cognomento Smek, Sueciæ Rex, &c.

Geor-

Georgius Novogardiæ Dux, pactis fœderibus, eam inter se diviserunt, constitutis imperiorũ terminis in Systerbek & reliquis versus septentrionem locis, quæ in tabula punctis quibusdam distincta vides. Ante aliquot autem annos, cum Ivan VVasilievitz Suski Muscovitarum magnus Dux, à Polonis suisque admodum premeretur, inque tantas angustias redactus esset, ut nisi fidus quidam Achates ipsi opitulatus fuisset, non solum de ejus omniumque optimatum vita, verum totius Imperii patriæque salute actum fuisset, Caroli IX. Sueciæ regis auxilium imploravit: Qui misso aliquot millium armatorum exercitu, Duce Iacobo de la Gardie, Comite de Leccõ, nunc regni Sueciæ Archimareschallo, hostium vires fregit, ac Muschoviam urbem Imperii Muscovitici sedem, ipsumque magnum Ducem, optimatesque ab obsidione liberavit: Præfatus autem Suski, simulans se tanti accepti beneficii memorem, ob latas suppetias, datis diplomatibus, Carelogorodiæ sive Kexholmiæ ditionem totam, una cum civitate & arce, Carolo IX, ejusque successoribus ac regno Sueciæ in perpetuam possessionem assignavit: Sed more gentis pactis stetit;

Missis

Missis namque clanculum literis, Castellanum suum Notteburgensem, data diplomata, stipendiaque quæ miles Suecicus meruerat, in via intercipere, atque in dicto Notteburg, castro invictissimo, reservare jubet; Kexholmiamque Suecis tradere recusat. unde orta inter Carolum Ruthenosq; contentione; ac Moscua sede Imperii, cum ipso Magno Duce, in Poloni potestatem cedente, Carolus sibi promissam vi occupat Kexholmiam, utque diplomata reciperet, arces Ruthenicas complures occupat, & Novogardiam magnam ingreditur. Postea satis concedente Carolo, filius ejus Gustavus Adolphus, patri in Imperio succedens, bellum continuavit, Notteburgumque inedià ad deditionem coëgit, diplomataque recepit, Ruthenosque tamdiu cladibus defatigavit, donec tandem modernus Muscovitarum Magnus Dux, Michaël Feodorovitz compulsus est, anno salutis humanæ 1617, antecessoris sui prædicti Ivani VVasilievitz Suski, super Carelogorod ejusque ditione, data diplomata confirmare: ac insuper arces Notteburgum, Ivanogorod, Iamagorod & Capuriam, earumque ditiones, Ingriam videlicet, eidem Sueciæ regi Gustavo Adolpho

Adolpho ejuſque ſucceſſoribus, in perpetuam poſſeſſionem aſſignare; pacemque æternam diplomate juramentoque ſtabilire. Atque hac ratione Carelia Ruthenica ſive Kexholmica, in regni Sueciæ perpetuam poſſeſſionem venit.

Careliæ Finnonicæ civitas eſt VViburgum, emporium ſatis celebre, vallis foſſiſque ac arce munitiſſima conſpicuum: Quod Rutheni aliquoties plus quam centenis millibus armatorum fruſtra obſederunt. Kexholmia, quam Sueci corrupte ſic vocant, ad imitationem Finnonici nominis Kekiſalmi, quod illi à Keki, quod cuculum, & ſalmi, quod fretum ſonat, quaſi cuculi fretum appellitant, fundata eſt in duabus parvis inſulis, in oſtio fluvii VVoxen. in citeriore civitas, in ulteriore arx ſita eſt, quas rapidiſſimum præterlabens flumen mirum in modum fortificat. Rutheni Carelogorod, id eſt, Careliæ propugnaculum vocant. Solum regio habet fertile, locis præſertim lacum Ladeſco Ozera circumjacentibus: In ſeptentrionali vero plaga, locis quindenis aut vigenis milliaribus ab illo lacu diſſitis, adeo paludinoſa eſt, ut ſola montana loca frugibus ſint apta; quamobrem ibi incolæ

majori ex parte venatione & piſcatura vivunt. Eſt autem prædictus lacus inter omnes, quos Europa habet, maximus, forma pœne ovali, quippe qui in longitudine miliaria germanica continet triginta ſex, ac in latitudine viginti : Cujus ſaltem pars circiter quinta Ruthenis cedit, reliquum Regno Sueciæ. Piſcoſus valde, præluſtris etiam apud Kexholmiam ſalmonum captura; eum Rutheni lacum à ſingulari ſpecie piſcis, halece paulo majoris, ipſorum lingua Ladog dicto, qui nullibi in Ruſſia niſi ibi capitur, denominatum putant. In Kexholmiæ ditione apud Kidila effodiuntur gemmæ, quas rubinos Kexholmicos, Rutheni Kidelſco camen vocant.

Careliam ſitu & naturæ ordine ſequitur Iugria, quam Rutheni Iſeram vocant: quæ, ut ſuperius commemoratum, nuperrime Regno Sueciæ adjecta eſt. Ea ſolum habet fertile fluvioſque piſcoſiſſimos, nec non & omnis generis venationes & aucupia. Inter venationes præcipua eſt Alcium, quos Sueci Elgh, Germani *Elent* vocant, quæ animalia bis in anno, maxima copia per flumen Nieva tranſeunt: Primo enim vere è Ruſſia catervatim tranſeunt in Careliam, & autumno

mno rursum remeant in Russiam ; & utroque transitu capiuntur maxima copia. Castra ea regio habet fortissima , quæ nimirum hactenus claves fuerunt Regni Muscovitici , quibus ne similia quidem Moscus in toto suo regno habet. Notteburgum enim , quod Ruthenice Oresca, quod nucem sonat, dicitur, in faucibus rapidissimi Nievæ fluminis,in parva insula situm, ob fluminis amplitudinem , nulla tormentorum vi attingi & quassari potest ; Ideoque ad nostra usque tempora semper invictum mansit, donec (ut prius commemoratum est) à Gustavo Adolpho Sueciæ rege obsessum , non fame, sed inaudita cœlitusque immissa inedia , ad deditionem compulsum est; non enim obsessis deerant edulia, quibus se sustentarent , sed verrucæ quædam in ore & faucibus eorum enatæ , ipsis impedimento erant , ne comedere vel deglutire possent. Ivanogorod Narviæ opposita, arx est fortissima , in isthmo rapidissimo flumine cincto , in rupe ædificata , muro turribusque fortissimis munita, quam etsi occidua parte , qua Narvam spectat , tormentis quassaveris , aditum tamen à meridie, occidente & septentrione , prohibet flumen rapidissi-

mum, quod inter Narvam dictamque arcem interfluit; Ab oriente natura è monte vallem excavavit latissimam, valdeque profundam, in cujus fundo subjecti oppidi cives habitant. Exterius solum planum tamque altum est, ut sola cacumina turrium tormentis attingere liceat, inferioribus intactis manentibus; Nec cuniculos agere possunt; fundus enim totus est lapideus. Habet præterea ea Regio & Capuriam & Iamagorod arces, cum arte, tum natura munitas.

Regni Sueciæ provinciarum situm naturæque ordinem sequentes ultimo loco pervenimus ad Esthoniam, quæ Livoniæ pars est, à meridionali parte sinus Finnici sita, quæ nostrā ætate non admodum diu sub Suecico fuit imperio, sed 65 saltem annos, cujus occasionem ex eorum historico Balt, Russone, adferam; Postquam enim, ut ille refert, Nobiles, qui olim, ut Christianam religionem propagarent, in Livoniam acciti erāt, neglecta & religione & vera nobilitate, seque libidinis, gulæque ac superbiæ imperio mācipare, miserosque subditos, non hominum sed jumentorum loco, habere cæperunt, scelerum vindex Deus Iohannem Basilium Muscovitarum Tyrannum,

rannum, ut eos coërceret, excitavit; qui maximam Livoniæ partem subegit, ferroque ac flamma vastavit. Livones ergo videntes se hosti resistere non posse, quandoquidem Livonia Romani Imperii membrum habita sit Augustæ Vindelicorum in publicis comitiis anno 1551 Caroli V Imperatoris, Romanique Imperii suppetias imploraruntur. Quanquam autem à Germania reliquoque Imperii corpore longe essent dissiti, Cæsarque, bello Turcico implicatus, non potuit eis suppetias polliceri; tamen post maturam deliberationem, data anno 1553 aurea bulla, Cæsar ipsis concessit, ut apud Regem Sveciæ alioswe vicinos principes tutelam quererent. Ideoque Revalienses & Oselienses adDaniæRegem confugerunt, eo quod Revalia olim à Daniæ Rege Valdemaro II ædificata esset, suaque privilegia pridem ab eo accepisset. Sed quandoquidem illis nullum contra Moschum, qui jam maximam Livoniæ partem depopulatus erat; arcesque plurimas occuparat, auxilium præbuit, ut ne egredi quidem è civitate possent; coacti sunt Erici XIV Sveciæ Regis opem implorare, eique se anno 1561 sponte subjicere. Quorum petitioni, anno superiore

vivens pater Rex Gustavus primus annuere nolebat. Existimant ergo quidam, præfatum Ericum hac re sibi suisque successoribus multas accersivisse molestias; Sed quandoquidem nostra ætas in mundi feces, turbulentissimaque inciderit secula, vicinique nobis semper pacem invideant; ratio dictitat, experientiaque comprobat, consultissimum esse ei, cui pax denegatur, ut hosti potius occurrat, quam eum domi exspectet. Eidem Erico in Imperio successit frater Iohannes III, qui bellica virtute & felicitate Esthoniam ejusque arces & territoria, nec non & Ivanogorodiam, Iamagorodiam, Capuriam & Kexholmiam, tunc Ruthenica castra, è tyranni manibus extorsit. Esthonum provinciæ sunt Harria, cujus metropolis est Revalia, aquilonem versus, ad sinum Finnicum sita; Viria, in qua Vesenbergh, Tolsburgh, & Borcholm; Alentakia, ubi Narvia emporium & *Nyslot;* Iervia, ubi VVittensteyn & Lais; nec non & Vikia, ubi Hapsal, Lehal & Lode. Ad Esthoniam pertinent etiam insulæ, Dagho, Orinso, Nuko, VVrango, Odensholm, Nargo, Vlffso, & utraque Rogho, quarum coloni, sicut & Osiliæ, nec non & maritimi plerique in continente, Svecica

utuntur

utuntur lingua; quod certe arguit eos esse ex reliquiis coloniarum Svecicarum, quæ priscis temporibus, cum ante Germanorum Danorumque irruptiones illæ provinciæ Regibus Sveciæ tributariæ erant, illuc tradūctæ sunt: Insularumq; præfatarum colonos juris fuisse Svecici, vel Svecico jure usos fuisse, etiam illo tempore quo ante annos 280 Dani Aesthoniam obtinuerunt, testantur Nicolai Abbatis Padensis literæ, quibus fatetur se anno Domini 1345, feria quarta post Dominicam Cantate, rite & rationabiliter vēdidisse Rogho juris Svecici insulam. Anno enim 1347, divi Iohannis Baptistæ die, data sunt diplomata, quibus Valdemarus III Rex Daniæ, ejusque frater Otto, fatentur, se Harriam & Viriam, una cum tribus civitatibus & arcibus, Revalia, Narvia & VVesenberga, omnique suo jure in prædictas arces, earumque territoria, Magistro ordinis Teutonici novendecim millenis marcis argenti puri, ponderis Colonienſis, vendidisse. Submisit etiam, hisce annis, Livonia tota collum Svecico imperio. Deberem igitur una cū nova delineatione, novam ejus descriptionem addere; sed quandoquidem eam loci angustia excludit, ad specia-

lium tabularum editionem differendam ſtatui, unicumque ſaltem attingam: Pluralitatem videlicet linguarũ innuere, ob iſtius terræ fœcunditatem, plura in ea regione bella geſta eſſe quam hiſtoriæ unquam commemorarunt. Habent enim præter Germanicam linguam, qua nobiles mercatoreſque utuntur, quatuor, non ſola dialecto differentes, ſed omnimode diverſas & diſtinctas linguas. In inſulis enim lociſq; maritimis Suecicam; in ſeptentrionali parte verſus ſinum Finnicum Eſthonicam vel Finnonicam, in mediterraneis Livonum linguam, quæ jam maxima parte exolevit, ac in quibuſdam ſaltem pagis remanet: In meridionali parte Letticam, qua & Curetes utuntur, quæ ex ſentina linguarum conflata videtur; reperiuntur enim in illa vocabula ex omnibus fere linguis.

II.

DE INGENIO, MORIBVS & consuetudinibus Suecorum.

SVECIS ingenia satis idonea sunt, non modo ad mechanicas artes quaslibet addiscédas, sed ad omnis generis scientias, literaturam, & variorum idiomatum usum: Nam qui paulo sunt honestioris & lautioris conditionis, non modo Latinæ linguæ, sed & Germanicæ Gallicæque studiosi sunt, easque summa industria usurpant.

Mores illorum olim simplices, nunc quoq; commercia & vicinorum consuetudo nonnihil mutarunt: sed quo longius à fontibus vitiorum, quæ hodie agmen in orbe ducunt, libido & superbia, eo adhuc minus contagione illius inquinantur.

Vestitus plebeiorum vilis; nobiliorum ad peregrinum modum, prout cuique aut inter peregrinandum allubuerit, aut æqualium suorum æmulatione.

Aedificia privatorum in agro & plerisque oppidis fere lignea sunt, & humiliora, ad frigus excludendum, & ventorum vehementiam vitandam;

Stocholmiæ tamen & in aliis aliquot oppidis intra mœnia ædes pleræque è lateribus aut saxis substructæ.

Tritici & frugum ipsis abunde est; majorque esset copia si inutiles sylvæ exscinderentur; unde & panis raro illis deficit, nisi forte annis quibusdam quum aut sata interierunt inusitata tempestate, aut bellorum rabie agricultura elanguit. Quum autem annona carior fuerit, egentiores panes è corticibus abietum pinuumque conficere solent, quos & stomacho prodesse, neque maligne nutrire opinantur.

Carnibus & piscibus affluunt; neutros tamen plebeji (præterquam raro) usurpant recentes, sed fere aut muria conditos, aut ad solem fumove induratos. Ferinæ denique & volatilium omnis generis, maxime earum quæ in deliciis habentur, maxima hic est copia.

Conjugia ipsis pudica, & sancta. Nam virgines sine consensu parentum aut tutorum ambire nequaquam licet. Neque tutori pupillam suam cuiquam desponsare impune licet aut sponsalia celebrare nisi quatuor testibus præsentibus, duobus ex parte spōsi & sponsæ totidem; multa XL marcarum

rum constituta qui secùs fecerit. Vbi autem hoc modo desponsata fuerit, impedimentum nuptiis tutori porro objicere non licet, nisi legitimum & legibus definitum: si contra faciat, sponso legitimo sponsam petere licet, & vel effractione portarum, si aliter non possit, illam abducere: adeo ut, si mors aut vulnera subsequantur, nulla pœna solvatur pro eo quod resistentibus infertur: sed si illi interficiantur vel vulnerentur qui eam recipere volunt, eorum pœna duplicetur, ac censeatur tunc jure recepta & non rapta. Verba sunt legislatoris. Qui recedit à propria uxore & cum alia contrahit & cohabitat, alia vivente quam legitime duxerat, & hoc probatur per testes manifeste; perdant vitam, vir quidem decapitetur, & mulier lapidetur.

Quum moritur vir vel mulier superstitibus liberis, filius vel filia succedat; filius quidem in duabus bonorum partibus, & filia in tertia: & recipiat nepos sicut filius, & neptis sicut filia, sive liberi vivant defuncti, sive non; at quintus gradus excluditur à successione. Quum moritur ille qui non habet hæredem in regno, si hæres venerit infra annum & noctem, cum sufficientibus

cientibus probationibus quod sit defuncti hæres, succedat tunc in bonis; quod si non venerit infra annum & noctem, cedant bona Regi, sive sint mobilia sive immobilia: & hoc appellatur communiter *Dana-arf*. Si ulli immobilia bona sunt donata, recipiat ille qui talia dedit. Si vero est indigena mortuus,& scitur qui sunt illius hæredes, manet tunc hæreditas illa donec adveniat qui est hæres: Quod si ignoratur qui sunt, & non mittitur nuntius ab iis vel alia certitudo ubi sunt, vel ipse hæres infra annum & diem venerit; succedit tunc fiscus in una medietate, alia medietas pro anima ejus expenditur.

III.

DE REGIMINE POLITICO & Civili Regni Sueciæ.

REGIMEN politicum & civile optime cognosci potest ex publicis regni legibus, itaque consultissimum existimavimus hic exprimere librum unum atque alterum è Codice Legum Suecorum Gothorumque, per Doctorem Ragualdum Ingemundi, Ecclesiæ Vbsalensis

salensis Archidiaconum, anno millesimo quadringentesimo octuagesimo primo primum latinitate donato, & à Ioanne Messenio à multiplici librariorum errore fideliter vindicato, & edito Stockholmiæ anno CIↃ IↃC XIV.

LIBER SECVNDVS

De

IVRE SVECORVM GOthorumque Regali.

CAP. I. *Primordia & divisionem Sueciæ Gothiæque comprehendens.*

HOc amplissimum septentrionis imperium, à remotissima & antiquissima seculorum memoria, in potentissima Suecorum & Gothorum regna coaluit: Suecia vero, illa ditio universa, quæ citra boreale. & Gothia, quæ citra meridionale nemus est constituta, olim appellabantur. Atqui Gothorum hic duplex natio, Ostrogothica nimirum & Vestrogothica Neque uspiam Regnorum aut populorum fixum atque stabile reperitur Gothorum nomen ac habitatio, præterquam in Suecia; Quandoquidem testimonio vetustissimorum scriptorum, nomen & populus Gothorum ex Suecia in-

inprimis in exteras glorioſe permanavit regiones.

Hoc autem Regnum in ſe continet VII Epiſcopatus, & IX territoria ſeu diſtrictus vel legiferatus cum ſuis confinibus. Primus Epiſcopatus eſt Vbſalenſis, qui in ſe continet unum territorium ſeu legiferatum, videlicet Vplandenſem. Secundus eſt Lincopenſis, & in ſe continet duo territoria ſeu legiferatus, Oſtrogothiam & Oelandiam. Tertius eſt Scarenſis, qui in ſe continet duo territoria ſeu duos legiferatus, VVeſtrogothiam & VVermelandiam. Quartus eſt Stregnenſis, continens in ſe duos diſtrictus, Sudermanniam nempe & Nericiam. Quintus eſt Epiſcopatus Aroſienſis, habens in ſe unum legiferatum tantum, ſcilicet Veſmanniam & Valles. Sextus eſt VVexionenſis, qui in ſe continet x territoriorum legiferatum. Vltimus Epiſcopatus eſt Abogenſis, continens in ſe duos diſtrictus vel legiferatus, videlicet meridionalem & ſeptentrionalem.

CAP.

CAP. II. *In regno Sueciæ non sit nisi unicus Rex, & unica Regalis Corona.*

IN universo regno Sueciæ non sit nec debet esse nisi unicus Rex, & una Regalis Corona. Regis autem interest terras regere ac castra, peculium seu prædia Coronæ, id est Vbsala Oedom, ac universos reditus & introitus, mulctasque quæ sibi tantummodo debentur pro homicidio à multis commisso, ubi principalis interfector ignoratur, suscipere, & in bonis, hæredibus non extantibus, succedere, prout cavetur de jure.

Nullus vero Regum ex his proxime enumeratis casibus diminuere potest jus Regale pro Successore, quia si fecerit, Successor jure recuperat, si potest: Deinde omnes qui inhabitant regnum, tenentur Regi obædire, suis parere mandatis, & ei obsequio esse; Specialiter ad confinia regni, pro ipsius defensione & non alterius, procedere, nisi id facere velint ex spontanea voluntate.

CAP. III. *Rex assumitur per electionem, non jure successionis.*

AD Thronum regni hodiernum in Suecia est Rex eligendus, & non per successionem ex parentela assumendus; quando autem regnum Rege caruerit, hoc modo ut sequitur eligetur: Quilibet Legislatorum superius enumeratorum, cum inhabitantium legiferatum vel territorium consensu, eliget XII viros gnaros & prudentes, ac cum illis ad placitum, Morating vulgo appellatum, die ad hoc determinato accedet pro eligendo Rege: Primam vero obtinet vocem Legifer Vplandiæ, & qui eum sequuntur, eligendi & approbandi; Post eum quilibet Legifer ordine suo, videlicet Sudermanniæ, Ostrogothiæ, Oelandiæ, Thiheredz, Nericiæ, VVestmanniæ, VVestrogothiæ & Finlandiæ: Isti eligunt Regem, & electum confirmant per eorum sententiam, ad tenendum terras & gubernandum regnum, leges firmandas, pacem procurandam; Qui sic jus habebit ad fiscum seu peculium Coronæ, dictum vulgariter Vbsala Oedom. Quicunque autem de innatis, maxime de filiis Regum, si tales sunt, per omnes voces horum Legiferorum,

rorum, aliorumque, electus fuerit in regem, illum ipsum Legiferi similiter approbabunt.

CAP. IV. *Qualiter Rex tenetur juramentum suum præstare.*

DEinde in eodem loco & die, quo electio est facta, Rex tenetur talia juramenta assecurationum populo suo præstare.

I. Iurabit quod Deum amare, & Ecclesiam ejusque jurisdictionem fovere velit, sine læsione juris Regalis, ac bonorum Coronæ, & totius populi sui detrimento.

II. Iurabit quod omnem justitiam & veritatem fovebit, diliget & conservabit, ac omnes injustos & injusta, flagitiaque opprimet, tam consilio, quam Regia sua potestate.

III. Iurabit quod erit fidelis omni populo, ita ut neminem pauperem aut divitem opprimat, vel vita aut membris spoliet, nisi sit legitime convictus secundum constitutiones, neq; alicujus bona usurpet, nisi secundum leges, ut dictum est.

IV. Iurabit quod reget & gubernabit regnum Sueciæ per indigenas, & non alienigenas, ut antiqua jura volunt, & in regno observatum fuerat

pro lege ab antiquo: Neque potest alienigena ad Regis consilium sumi, neque castris vel terris præesse, neque bonis regni & coronæ adeo antiquis, ut nemo sciat, aut in memoria ex certitudine habeatur, illa qualiter Corona olim acquisivit.

V. Iurabit quod conservabit castra, terras & earum fines suis reditibus, & sua potestate, ita ut nihil diminuatur successori; Quia ille tenetur sic diminuta & ablata cum potestate recuperare; alias fieret regnum Comitatus, vel dominium minus.

VI. Iurabit quod sustentabit se & aulam suam ex bonis coronæ, ejus fisco, prædiis & proventibus regalibus, & non onerabit suos subditos per novas exactiones, nisi propter causas sequentes: Si exercitus exterorum regnum invaserit, sive sit ille Christianorum, sive infidelium; Vel si indigena opponit se Regi, & rex non potest se aliter defendere; Vel si debet coronari; Aut circuire regnum pro feliciore introitu; Vel tradit filium, vel filiam nuptui; Vel indiget ad restauranda castra, vel bona fisci: Atque in iis casibus debet quilibet Episcopus cum vi nobilibus in quolibet districtu sive Legiferatu, & vi de populo, ponderare quan-

quantum populus poteſt ſuo regi pro tempore & facultate ſubvenire.

VII. Iurabit quod poſſeſſiones & prædia Eccleſiarum, Clericorum, Militum & militarium, eorumque familiam velit omnia antiquæ libertati & privilegiis immunitatibuſque ſine prejudicio coronæ relinquere, & omnes Leges antiquas quas populus ſponta-nea voluntate acceptaverat & approbatæ fuerant à prioribus Regibus, regia authoritate defendere, fovere & ſervare, ita ut iniquæ leges non prævaleant contra juſtas: Et potiſſimum promittet, quod nulla lex inducetur in regnum, populo pro lege ſervanda, neque aliquæ leges condentur de novo, niſi populi voluntate & aſſenſu obtentæ: Deinde tenetur rex populum ſuum in pace tenere, poſſidereque, & pacem ac libertatem ei ſervare; Singulariter pacificos qui ſecundum Legem pacemque volunt vivere, defendet à contentioſis & injuſtis tam domeſticis quam exteris; Et maxime ſervare & fovere obligatur immunitatem & pacem Eccleſiæ, placitis, mulieribus, & cuique in domo propria indultam, ut hoc pacto omnis tranquillitatis & pacis uſus augeatur, & earum ſupprimatur turbatio, juxta bonitatem &

induſtriam Regis. Poſtmodum tenetur Rex præſtare juramentum ſuum ſub hac forma, impoſita manu reliquiis Sanctorum & Evangeliorum libro:

Sic mihi Deus ſit propitius in corpore & anima, ac Virgo Maria, & S. Ericus, omneſque Sancti, ac reliquiæ Sanctorum quas manibus tango, quod omnes & ſingulos enumeratos articulos tenebo, ſervabo & fovebo, ſecundum noticiam & conſcientiam meam. Oportet autem Regem elevata manu promittere Deo & populo ſuo, ſub ſancta fide ſe juramentum ſervaturum, nimirum omnibus, tam juvenibus quam ſenibus, natis quam non natis, tam dilecto quam non dilecto, tam abſentibus quam præſentibus qui juramentum Regis audiverunt, in nullo id comminuendo, ſed potius augendo omni bono, & firmando pro ſua dilectione Regali. Charitas Dei ſit cum Rege noſtro, & omni ejus populo.

Quando Rex eſt ſic à Legiferis & eorum adjunctis electus, & pro Rege approbatus, & ſua præſtitit juramenta, tunc eſt verus Rex totius regni Sueciæ; Poſteà poteſt feuda concedere, & regnum in omnibus iis, quæ ſuperius

ſunt

sunt dicta, regere; ac exinde secundum Deum in regno suo supremum judicium habere, nempe sententiam super omnes judices; & querelas populi audire, causasque secundum Leges, vel secundum inquisitam aut compertam veritatem judicare, etiamsi id sibi minus videatur placere.

CAP. V. *Qualiter Legiferi, & qui de eorum territoriis sunt, Regi novo juramenta præstabunt.*

OPortet præterea Legiferum Vplandensem, cum reliquis Legiferis & eorum adjunctis, in coronatione præsentem esse, quando Rex vult, ad infra scripta juramēta ab ipsis sibi prestanda. qui tempore inaugurationis regiæ præsentes fuerunt. Primus autem articulus quem jurabunt est, quod omnis populus Regni Sueciæ, eum pro rege reputabit, suamque electionem ratam censebit, & ipsius authoritati potestatique obtemperabit. Secundo jurabunt quōd sub ejus stabunt obædientia, & suum mandatum exequentur in iis quæ licita censentur coram Deo & hominibus, ipsi quidem ut præcipiat, illis ut obtemperent, salvo Regis jure omni, & subditorum. Tertio quod erunt illi fideles, & fidem præ-

ſtent, maxime in expeditionibus pro defenſione ad confinia regni, cum eo regnum defendendo. Quarto quod omnes tributarii qui fuerunt, & nunc ſunt obligati ad tributum, debeant & teneantur omnia tributa & cenſus debitos Regi reddere ſpontanea voluntate abſque contumacia, & illa vehere, ac transferre juxta Regis voluntatem. Denique jurabunt Legiferi, & omnis populus cum eis, ſuper librum & reliquias Sanctorum erectis manibus, optando ſic Deum ſibi eſſe propitium quoad corpus & animam, ac Virginem Mariam, & S. Ericum, omneſque Sanctos, & reliquias Sanctorum omnes, quas manibus tenent, quod omnes enumeratos articulos Regi ſuo ſervabunt & fovebunt, juxta ſcientiam & conſcientiam ſuam, & erectis manibus ſe Deo & Regi ſuo fideles & ſynceros promittent futuros.

Per hæc autem juramenta & fidei promiſſiones, per Legiferos & populum eis adjunctum facta & factas, tam juvenes quam ſenes, tam non nati quam nati, tam chari quam non chari, tam præſentes quam abſentes quando juramenta præſtabantur, & fidei ſinceritas promittebatur, obligantur.

CAP.

CAP. VI. *Qualiter Rex circuibit regnum, jucundum adventum ostendendo, & quomodo homines cujuslibet territorii ad quod declinaverit, eum assecurabunt & deducent.*

TRansitus Regis in suo jucundo introitu & adventu per regnum taliter fiat: Homines illius territorii per quod transiturus est, tenentur eum sequi & securum reddere per illos, qui ei associabuntur, jurabuntque juramenta prius expressa; Et debet Rex in quolibet Legiferatu sive territorio promittere atque polliceri, quod servabit illis omnia juramenta quæ præstitit Vbsaliæ, cum primum eligeretur in regem, & tenetur populus ipsi etiam id promittere servandum quod Vbsaliæ Regi juravit. Deductio autem Regis per regnum debet fieri hoc ordine: Inhabitantes districtum Vbsalensem, sequentur eum ad diœcesin Stregnensem, ubi inhabitatores Sudermanniæ obviam venient, eum assecurando & sequendo ad Suintuniam; illic Ostrogothi illi obviam venient, & per eorum territorium sequentur usque ad medium sylvæ, quæ vulgo Holevegen appellatur; ubi ho-

mines de Smolandia Regi occurrent, & sequentur eum ut prius alteri fecerunt, per eorum territorium ad locum Iuna*bäck* dictum; Hic VVestrogothi obviabunt illi velut alii, cum assecuratione, & suis obsidibus, apparatuque; & sequentur eum ad locum qui dicitur *Romundabodha*; ubi homines de territorio Nericiæ Regi obviam venient, & eum sequentur ad pontem *oppügabro* dictum; ibi homines de territorio VVesmanniæ Regi obviam fient, sequendo ipsum & salvum ducendo ad pontem *Ostenbro*: juxta quem homines de territorio Vbsalensi occurrent, salvum eum ducendo Vbsaliam. Et tunc est ille Rex juste ac legaliter ad coronam & regnum receptus, tali transitu per singula territoria facto, riteque electus secundum Constitutiones regni; & satisfactum est ipsi à suis, & suis ab ipso per juramenta hinc inde delata.

CAP. VII. *Vbsaliæ debet Rex coronari & benedici.*

POstea vero quando placet Regi coronari & benedici, hoc Vbsaliæ fiet ab Archiepiscopo, vel alibi si aliqua necessitas cogat; Convenientius tamen

men est ut Vbsaliæ fiat propter utriusque dignitatem.

CAP. VIII. *Qualiter Rex eliget Consiliarios, & quomodo jurabunt.*

POstquam Rex est electus, potest sibi eligere Consiliarios, inprimis quidem Archiepiscopum, deinde ex suffraganeis quotquot illi videntur utiles esse: XII autem debent esse in consilio ex militibus & militaribus, & non plures; qui XII tenentur præstare hæc sua juramenta super librum & reliquias sanctorum in suis manibus contentas.

I. Quod illud Regi persuadebunt, quod cognoverint in veritate sibi & regno utile esse, neque hoc omittere propter favores, aut consanguinitatem vel affinitatem, aut etiam amicitiam quameunque.

II. Iurabunt quod illum fovebunt in justicia secundum Constitutiones regni, cum omni eorum potentia, ut servare possit juramenta per eum populo regni præstita, & populus illi; idemque promittent seipsos fideliter servaturos.

III. Quod secreto servabunt quæ Rex vult secreta servari, & nullibi ma-

nifestare, unde Regi possit aut regno damnum vel periculum provenire.

Si quis loquutus fuerit quidpiam de Rege, vel Consiliariorum unò vel pluribus, quod in honoris vel famæ regiæ aut Consiliariorum cedat dedecus, neque id legitime probare poterit, testantibus VI integræ fidei viris ipsum talia loquutum, capite plectarur: Verum si aliam protulerit adversum ipsos contumeliam, quæ honorem & famam ipsorum non concernit, mulctabitur XL marcis, aut carceri mancipabitur per mensem, illic solo pane & aqua sustentandus.

CAP. IX. *Cum Rex matrimonium contracturus, qualiter donationes liceat ipsi nuptiales facere, & quomodo Regina easdem perdat.*

CVm Rex fuerit matrimonium contracturus, & Reginæ donationes daturus, tales donationes fieri debent de consensu Consiliariorum Regni, tam Episcoporum, quam Militum, & Militarium indigenarum & non alienigenarum, quanta talis debet esse donatio. Castra vel fortalitia non donabit, sed possessiones alias, sive curias vel prædia, juxta consensum Consiliariorum. Donationes autem

tem tales durabunt ad vitam Reginæ, & post ejus obitum ad Coronam redibunt. Quod si Regina transit ad secundas nuptias, vel exit è regno, & non intendit residere in regno, tenetur Rex qui regnum obtinet illi pro donationibus satisfacere, juxta arbitrium Consiliariorum regni: Nec cuiquam sit permissum ipsi donationes auferre, quamdiu innupta permanserit, & in regno resederit, nisi manifeste compertum fuerit quod se regno opponit in iis quæ regno damnosa sunt; & ex tunc privata est donationibus, alias non.

CAP. X. *Qualiter nobiles tenentur Regi servire equis & armis, & in quibus locis armorum lustratio seu scrutinium fieri debet, atq; si tributarius vult fieri liber.*

MOdo quo sequitur tenentur nobiles & liberi suo servire Regi. Inprimis quicunq: vult habere suas possessiones & prædia libera à solutione tributi, sive Miles sit sive militaris, excepto nullo, tenetur habere equum valoris XL marcarum, & potius meliorem quam deteriorem, ephippium pro armorum usu aptum, cuspidem & arma pro reliquis corporis partibus apta,

apta, nullo deficiente quo se quis defendere potest.

Quolibet VIII die post festum Petri & Pauli Apostolorum, fiet scrutinium armorum & armatorum Vpsaliæ de tota diœcesi Vbsalensi, Arosiæ autem ex diœcesi Arosiensi, Stregnesiæ ex Sudermannia, Oerebrogiæ ex Nericia, Lincopiæ ex Ostrogothia, & de Tiust, Kind, Vidbo, Ydre, Tueta, VViſt, Grenna & Visingsoe, Calmarniæ ex præfectura Calmarnensi, & Oelandia, in Rydaholm & Tiherad, in Falchenberg, ex utraque Hallandia, australi & boreali, Scarræ ex Vestrogothia ac Dalia, in Tingualla ex Vermelandia, & Abogiæ ex Finlandia.

Si desiderat tributarius fieri liber, tum compareat die præscripto, equo & armis instructus, ut qui scrutinium facturi sunt ex parte Regis, scrutinium faciant tam de persona & ejus fama, quam equo & armis, ac prædiis pro sustentatione status: Omnes autem tributo liberi, se præsentare tenentur quando fit scrutinium armorum, sive sit Miles, sive Militaris, & personaliter arma induere, & equo proprio insidere, ac de equo & armis sit provisus, ut superius est expressum.

Atqui lustrationem hanc armorum nomi-

nomine Regis, die & loco præfatis peragent viri certi, à Rege cum Senatorum consensu ad hoc deputati, quorum si aliquis moriatur, mox alius in locum subrogandus. Hi vero diribitores in lustrando efficient, ut singula observentur memorata & præstentur, istud munus ea fidelitate obeuntes, prout gratiam Regiam promereri, & honori proprio studere velint propagando: Ideoque nulli superioris aut inferioris conditionis homini permittent, ut deteriori compareat apparatu in diribitorio, sed potius meliori.

CAP. XI. *Si homo liber senuerit, qualiter filius pro eo militabit.*

CVm nobilis senuerit, & sit inhabilis ad arma portanda, tenetur venire ad locum scrutinii ad scrutatorem Regium cum equo & armis, & allegare sua impedimenta, afferreque viciſſim unum astantem, qui pro se serviturus est: Debent tunc scrutatores ejus impedimenta cognoscere, & considerare si ille qui alterius loco serviturus est, sit utilis pro servitio Regni vel non; Ac si ipse postea ab eo receſſerit, alium recipiet loco ejus, conditionibus prioribus habitis. Si autem contingat quod quis homo liber, ex

senio

senio vel infirmitate ad scrutinium venire non possit, & habeat unum filium vel plures aliis servientes, nec versentur continuo in domo paterna, relevatur tunc ipse per eos si non est facta bonorum divisio inter eos, & non aliter, teneturque tunc unus eorum venire ad scrutinium semel annis singulis ex parte patris, ut est superius expressum.

CAP. XII. *Si homo liber à tributo, velit renunciare libertati.*

SI homo liberæ conditionis velit mutare statum, redeundo ad conditionem tributariorum, quod facere non potest nisi quando fit scrutinium armorum, & illi qui scrutinio nomine Regis præsunt, causas cognoscét quare vult deserere libertatem, qui absque facultate diribitorum non discessurus est ex diribitorio.

CAP. XIII. *Si plures liberi vivunt mensa communi simul, ut sunt pater & filius, aut eorum gener, quomodo Regi famulabuntur.*

SI plures homines liberi à tributo simul vivunt, communem habentes mensam, & bona indivisa, ut pater & ejusdem filii cum eorum genero, potest

potest tunc unus ex illis ad hoc magis aptus, pro aliis servire equo & armis, quamdiu simul sunt mensam habendo communem. Quamprimum autem ab invicem separantur, non possunt denuo ad cohabitationem venire, sed quilibet pro se serviat qui ab indiviso recessit.

CAP. XIV. *Si quis latitat dum sit armorum scrutinium, vel non sit ullo legitimo impedimento detentus.*

SI quis ex liberis præsumit latitare, quando liberi ad serviendum evocantur pro defensione regni, vel cum debeat de equis & armis scrutinium fieri, sine veris impedimentis, ut sunt: Quia forte est extra regnum, vel in lecto infirmus decumbit, & hoc veridicorum æstimatione probandum: Sed qui aliter latitat, nec potest purgationem suam ostendere, prout dictum est, meretur libertate privari qua prius fuerat usus, illam nunquam recuperaturus nisi ex speciali gratia regis, & puniatur insuper mulcta XL marcarum.

CAP.

CAP. XV. *Si quis fugerit, & deseruerit vexilla in bello regia.*

SI, quod absit, contingat ut aliquis exercitum deserat, faciendo fugam à vexillo Regis eo tempore quo est hostibus congrediendum, aut ab officiali Regis qui primicerius appellatur, aut fugit in expeditionibus quas Rex aut ejus officialis emittit, ille in his culpabilis repertus, vitam cum bonis amittet, nisi de gratia Regis vitam redimere possit. Si autem fugit ita ut capi nõ possit; ipse profugus manebit, nunquam statum recuperaturus pristinum honoris, nisi hoc de gratia fiat. Si vero Capitaneus Regis imputat alicui tale crimen, & ille negat se taliter egisse, referatur ad XII viros qui in expeditione fuerunt, & nominentur VI utrinque.

CAP. XVI. *Si quis captivetur in expeditionibus bellicis cum jactura equi & bonorum.*

SI quis captus fuerit in obsequio Regis constitutus, tenetur Rex eum redimere, equum & arma restituere, & absolutum ab impedimento reddere. Et si alicujus liberi militis equus destruitur, interea dum ingreditur exercitum

citum & revertitur domum, tenetur tunc Rex ei alium reſtituere: Debet nihilominus equus aſſignari Marſchalco Regis, ſi vivit, vel doceat ſufficienter quod ipſum equum habuerit; At ſi equus aliter moritur quam modo prædicto, emat ſibi miles alium in locum mortui, ad militandum pro defenſione Regni.

CAP. XVII. *Si famulus in ſervitio domini proprium deperdat equum.*

SI famulus in obſequio domini ſui proprium deperdat equum, illum dominus equum in ſuo ſervitio bellico, aut alio negotio ſibi exhibito deperditum, famulo compenſabit, alias non: Verum equus cujus ſolutionem famulus à domino efflagitat, ſi vivus eſt, domino tum monſtrandus, & famulus XII virorum juramentum deponet, quod ſua non ſit equus culpa deperditus.

CAP. XVIII. *Si equus militis liberi moritur antequam luſtratio fiat armorum.*

SI equus hominis liberi moritur antequam ſcrutinium armorum peragitur, & de illo conſtat per idoneos, qui præſentes fuerunt quando morie-

batur equus : Tum ſcrutatores illi dabunt terminum VIII ſeptimanarum, ad providendum ſibi de equo valoris prius expreſſi, & termino præfixo ad ſcrutatores revertatur, & ſit culpæ expers ſi ſic fecerit ; Tamen tenetur arma oſtendere quando ſcrutinium fit, ſi libertatem vult conſervare & ea frui.

CAP. XIX. *Si miles aut militaris liberos reliquerit.*

CVm habuerit miles vel militaris filium unicum, vel plures poſt ſe relictos, ille vel illi tenebunt bona ſua donec fuerint XV annorum. poſtea debent ipſi, vel alter eorum nomine, in ſervitio Regni militare pro ſuis bonis, vel faciant & ſolvant tributum ſicut tributarii, ſi non ad prædicta munera regni fuerint ſufficientes. Si autem miles aut militaris filiam poſt ſe habet relictam, ipſa gaudebit eadem libertate.

CAP. XX. *Si moritur homo liber, qualiter relicta uxor gaudet libertate, quousque tranſierit ad ſecunda vota.*

ILlis viduis quarum mariti meruerunt libertate gaudere, relinquentur liber-

libertates, & eorum filiis qui nondum sunt legitimæ ætatis; sine præjudicio libertatis populi: Itaque quamdiu vidua permanserit, tamdiu libertate gaudebit, in eum diem quo ad secunda vota transierit. Si tamen contrahit cum libero, tum liberat bona ejus, sed si contrahit cum tributario, reddet tributum sicut tributaria: Si miles vel militaris reliquerit post se filiam, illa gaudebat libertate patris Si autem vidua vel filia relicta, in fornicatione invenitur, perdet libertatem illam de qua nunc mentio facta est.

CAP. XXI. *Qualiter Archiepiscopus, Episcopi, milites, militares & præfecti Regem accedent, & qui aliter fecerint, quæ sit illorum pœna.*

ARchiepiscopus Regem accessurus, XL solum stipabitur equitibus, Suffraganeus XXX, officialis Regius totidem, & non pluribus, Miles vel militaris de Consiliariis Regiis XII; miles vero qui non est in numero Senatorum Regni VIII, & non pluribus; Militares militibus similes VI, & non pluribus; Minor his & tamen liber, III, & non pluribus, nisi sit in expeditionibus. Hoc itaque modo præfati

tenentur Regem accedere, ac abeo recedere, ubicunque volunt in Regno; Qui contra fecerit, ſolvat XL marcas, pœna Regi tantummodo debita.

CAP. XXIII. *De hoſpitiis ac viis publicis, ac qualiter hoſpites recipiendi hoſpitio, & qualiter neceſſaria alimenta itinerantibus vendenda.*

IN publicis viis oportet hoſpitia eſſe, nec amplius duobus milliaribus vel ſemi tribus unum ab altero diſtabit hoſpitium; Sed præfecti regii debent eſſe in villis ubi non poſſunt hoſpitia publica conſtitui ad vendendum alimenta & pabulum: Legifer vero & XII territorii Aſſeſſores, in quovis territorio tabernatores, & præfectos hujuſmodi conſtituent; Sin ſecus faciunt, & viator conqueſtus de hoc fuerit, mulctabitur Legifer VI marcis pro quolibet diverſorio non conſtituto. Tabernator debet domum accommodare illis, qui cum benevolentia petunt, & ſtabulum, abſque tamen ejectione gregis ipſius hoſpitis: Duo tabernarii debent eſſe in qualibet civitate, qui viatoribus vendent victualia, & pabulum pro equis, & omnia neceſſaria; In quacunque civitate hoc

non

non ſervatur, ſolvet pro pœna quilibet Conſul CL marcas, & quilibet Senator XX marcas, quæ pœna tantum Regi cedit. Bovem autem æſtimationis ſufficientis, tenetur ruſticus aut mercator vendere pro XII oris, ovem antiquam pro II ſolidis, libram lardi vel butyri pro II denariis, brachium fœni pro IV denariis, panem aut cereviſiam prout venditur die fori in proxima civitate; Pabulum pro equo, hordei nempe modius, emendus eſt ab hoſpite pro II aut IV denariis magis, quam venditur in proxima civitate, & quartale uno denario pluris ematur.

CAP. XXIII. *Si ruſtici recuſaverint hoſpitem ſuſcipere, vel plures diverterint ad tabernatorem quam fovére poſſit.*

SI tot diverterint hoſpites ad diverſorium, quot taberna diverſoria capere non poteſt, ablegabit ſuperfluam hoſpitum partem tabernator ad vicinos villicos, tot quidem dirigens ad quemlibet, quot novit illum fovere poſſe, quibus neceſſaria alimenta pro pecuniis ſubminiſtrabuntur.

Si autem ruſtici vel tabernator non vendiderint, nec hoſpites receperint, ut eſt dictum, ſolvant III marcas par-

tibus tribus, Regi, actori & præsidi contractæ. Non tenetur quisquam hospitem plusquam per unam noctem recipere in eodé transitu, & ad unam cœnam, pabulumq; unius noctis vendere; Neque tenetur ad providendum de viatico & vecturis, nisi hoc ipsi placuerit.

Qui violenter aliquid accipit à presbytero, aut rustico, vel hospitatur ipsis invitis contra has constitutiones, & fuerit probatum sufficienter, oportet tunc Regem punire ipsum, auferendo ei vitam gladio, tam majoris quam minoris cõditionis transgressori, propter tantam violentiam. Possunt quoque tales capi à Legiferis & à minoribus judicibus, non tamen vitam perdere, nisi prius per Regem examinentur, vel per eum qui fungitur Regia autoritate.

Cap. XXIV. *Si violenter se in hospitio gerentes, vulnus aut mortem referant.*

Quod si quis occiditur à defensoribus aut possessoribus cum tales excessus fiunt, occiditur impune, ac si gladio occideretur Regali. Quod si non solutum fuerit priusquam hospes de domo recedit, hoc est raptum & non

non emptum; ac, si injuriam passus injuriantem accusaverit, puniatur ut est dictum: Iam vero si hospitantem, se contra injurias defendere volentem, hospites violenti occidant acie vel cuspide, aut ad effusionem sanguinis vulnerent, vel aliam violentiam inferant, livorem vel vulnus infligendo, & capiuntur in flagranti crimine, vitam pro vita perdent omnes ea vice qui violentiam illam, verberando & pungendo fecerunt. Si vero non fuerint capti quando violentia committitur, securi Regem accedant, vel Regis autoritatem habentem, habeantque postea mensem pro termino, solvant deinde pœnam pro effusione sanguinis aut livore qui hoc fecerunt; Ast quicquid in fundo passi sunt à domestico, vel ejus uxore, vel filiis vel familia, non æstimetur, & in duplo sit eorum pœna quæ domesticis inferuntur in eorum fundo.

Si recedit hospes ab hospitio iratus, quia non potuit ea facere quæ volebat, & alia vice infert vulnera vel livorem eadem de causa, vel quempiam occidit, & fuerit convictus, subjaceat Legibus superius expressis. Alias in omnibus casibus tabernarius, ejus uxor, & filii cum familia gaudebunt

immunitate, quando nemo apud eos hospitatur.

CAP. XXV. *Si quis violenter spoliat possessorem despiciendo justas sententias.*

SI quis spoliat aliquem possessione domorum, sylvarum, aquarum, piscaturarum, vel reddit inutilia, sibi talia appropriando, vel etiam mobilia quæcunque, pecunias & similia, compensabit damnum, & punietur mulcta XL marcarum per tres partes distribuendarum.

CAP. XXVI. *De pœna transferentis actionem in alium.*

QVicunque concedit actionem suam alteri personæ, perdat jus quod habuit in illa causa, & illi cui fit concessio non respondeatur, neque de jure, neque de precio: Nemo recipiat in se aliorum causam, nisi secundum quod Leges permittunt, qui secus fecerit ipse mulctabitur III marcis, in tres distribuendis portiones, & legitimo causæ possessori supplebit quælibet damna inde accepta; Sed si quis alterius causam in se suscepterit defendendam, ille tenetur ad respondendũ in illa causa, & justitiam præstandam.

CAP.

CAP. XXVII. *Si vir liber, vel mulier permutat, vel sibi acquirit terram tributariam fraudulenter, qualiter punietur.*

SI vir liber, aut mulier libera permutat, vel emit à tributario terram tributariam publice, ut Leges permittunt, & tamen clam inter se contrahant quod quilibet sua possideat, attrahendo sibi dolose reditus Regales, qui hoc facit furtum committit, secundum quod res distracta poterit æstimari: Et qui de simili furto convictus fuerit, punietur ut fur: Tributarius autem restituat tributum, quo defraudata fuit Corona singulis annis, mulctandus insuper XL marcis, Regi tantum numerandis. Sicut vero terra tributo libera, potest tributaria evadere, si requisita secundum Leges non fiunt inde servitia: Ita etiam terra tributaria, potest per hæreditatem fieri libera, quando vir liber, vel mulier libera est hæres tributarii; Atqui tributarius potest libertatem pacto memorato sibi comparare. Nemini denique tributariorum licet plus terræ tributariæ sibi emere quam ipsemet colit; qui secus fecerit cum detrimento Regalium redituum, attestantibus istud

duodecim territorii judicibus, damnum Regi compensare obligatur, præter XL marcas Regi loco mulctæ numerandas.

CAP. XXVIII. *De illo qui violat pacem per Regem alicui indultam.*

QVi invadit illum quem Rex sub suam recepit tutelam per suas patentes litteras, & fuerit captus, idque contra eum sufficienter probatum, sic convictus amittet vitam cum mobilibus bonis: Hæredes autem capiant bona immobilia, sed de mobilibus bonis actor tollat tertiam partem, & Rex reliquas duas.

CAP. XXIX. *Qualiter ille punietur, qui violat sententiam Regis, aut sui locum tenentis.*

QVi violat sententiam quam Rex tulit, vel sui locum tenens, licet habeat litteras desuper sententiam continentes, solvat Regi XL marcas, quæ S. M. tantum modò cedent; Hæ XL marcæ per XII viros extrahentur ab eo qui deliquit, primo de bonis mobilibus, quæ si non sufficiant, æstimentur domus ejus, si neque domus sufficiant, æstimetur terra, ita tamen quod sui consanguinei possint redimere terram

ram infra annum & diem, pro quo detenta est. Quod si non sufficiat pro utrisque, videlicet actore, Rege atque contracta, deficiat tunc æqualiter pro omnibus, nisi in debitis; Dabitur enim creditori integrum ratione debitorũ, & Regi integra portio pro pœna. Tertiam vero partem capiunt XII Assessores judicii, vulgo Nempdarii Regii nuncupati, mulctarũ provenientium à violatoribus sententiæ Regiæ, pro labore & impensis suis.

CAP. XXX. *Si creditores proponunt querelas coram Rege.*

CVm aliquis conqueritur Regi super debitis, & desuper litteras habet, ac debitor non est præsens, debet Rex committere uni vel pluribus, habitantibus in illo districtu ubi debitor moram trahit, qui actori justiciam ministrabunt eo die quem Rex duxerit præfigendum cum suis litteris; Debitor adducat suam quitanciam, probando se solvisse: Quod commissarii significabunt Regi per suas litteras, qui præsentes fuerunt quando taliter erat actum.

CAP.

CAP. XXXI. *De venantibus & venatoribus Regiis.*

QVi venantur in locis Regi reſervatis, quicunque ſit ille, perdit equum cum baliſta, & punitur in XL marcis; & hoc examinent Nempdarii ſeu Aſſeſſores, ſi captus non fuerit in recenti crimine; quæ mulcta applicatur tantum Regi: Campi autem Regis venatici, ſunt fundi proprie Regii & coronæ, velut eſt peculium Vbſalenſe & ſimilia.

CAP. XXXII. *De* XII *deputandis in quolibet territorio, qui jurabunt ſe recte examinaturos quis delinquat contra illa, quæ habentur in libro ubi agitur de jure Regali.*

QVia nonnunquam contingit aliquem delinquere contra ea, quæ habentur in libro iſto ubi jura regalia conſcribuntur; Ideo hunc propter caſum oportet eſſe XII-viros in quolibet territorio nominatos per Regem & populum illius territorii, qui habebunt authoritatem in quolibet territorio, examinare & manifeſtare ſecundum quod fuerit eis demonſtratum, providere etiam ne populus illius diſtrictus, con-

contra conſtitutiones Regales lædatur. qui tale præſtabunt juramentum:

Nos precamur ita Deum nobis propitium eſſe, ac Sanctorum reliquias quas in manibus tenemus, quod non faciemus ullum culpabilem qui culpa vacat, nullum etiam excuſabimus qui culpabilis eſt, ſecundum conſcientiam & rationem quam Deus nobis dederit, hæc non omittendo propter amicitias, conſanguinitates aut affinitates, aut timorem aut odium vel favorem; Et obligamus nos ipſos ad omnes prædictos articulos & ſequentes obſervandum inviolabiliter ſub iiſdé pœnis, ſic Deus ſit nobis propitius, & iſtæ reliquiæ Sanctorum, quas manibus contrectamus.

Quem itaque iſti XII vel VI ex eis purgant, ſit purgatus pro Rege & contracta, actoreque; Quem vero reum dictant, reus eſto, pœna Regia puniendus, & privandus manu, collo, bonis & pecuniis, Regi & contractæ juxta delictorum qualitatem numerandis; ac contra hos nemini licet appellare.

CAP.

CAP. XXXIII. *Qualiter violentia deferri debet ad Regem, & in Placito proponi, qualiterque reus poteſt rejicere* II, *vel* III, *ex* XII *judicii Aſſeſſoribus.*

OMnem violentiam debet quis prout facta eſt ſibi, primo die feſto coram parochianis, & coram vicinis, & in primo placito territoriali, vel Placito quod fit in contracta in qua habitat, aut infra VI ſeptimanas coram Rege, vel eo qui ejus tribunal tenet, ſecundum quod res geſta fuit, proponere; Si non conqueritur ut jam dictum eſt, poſtea non eſt audiendus, quia ejus actio exſpiravit, & eſt inutilis facta, & accuſatus veniet ſecure ad reſpondendum coram illis, & ſecurus recedet, & habeat inducias XIV dierum; Quod ſi tunc non venerit, condemnabitur juxta delictum ſuum.

Si formidat accuſatus ne aliquis ex XII ducatur inordinato favore contra ſe, idque vel propter conſanguinitatem, affinitatem, amicitiam, aut perſecutionem, odium aut iram, & hoc probare poterit contra II vel III (ſiquidem contra plures non admittitur probatio,) oportet tunc tales de Nemda ſeu Aſſeſſorum numero excludere,

dere, & loco excluſorum alios in locum reponere pro illa vice, & non amplius.

LIBER OCTAVVS

De

IVRE SVECORVM GOTHORUMque placitandi.

CAP. I. *De electione Legiferi & juramento ejus.*

CVm eligendus eſt Legifer, fiat per Epiſcopum intimatio in Placito, & terminum præfigat VIII hebdomadarum, ut omnes ex territorio convenire poſſint ad illud Placitum territoriale. Epiſcopus autem veniat cum duobus clericis, & populus eligat VI de armigeris, & VI tributarios, illique XII cum clericis debent III eligere qui domicilium habent in illo territorio, præ oculis habendo Deum, quod tales ſciant territorio utiliores ſecundum eorum conſcientiam. De illis tribus poſtea unum Rex confirmabit, prout ſibi fuerit divinitus inſpiratum, & quem videt utilem eſſe populo. Qui vero per Regem electus fuerit & confirmatus, hoc juramentum præſtabit: Sic ſit mihi Deus propitius, & reliquiæ

quiæ Sanctorum quas manibus meis tango, quod tam ſuper pauperes, quam ſuper divites per totum meum Territorium, in omnibus Sententiis ſequar juſticiam, & nunquam pervertam contra conſcientiam, nec juſtum pervertendo injuſtum vel injuſticiam fovebo, neque propter timorem neque favorem, vel avariciam; neque propter odium vel rancorem, neque propter conſanguinitatem vel amicitiam; & ita Deus ſit mihi miſericors, ſicut verum dico, & mihi, ſi mentior, iraſcatur.

CAP. II. *De electione Præſidis & ejus juramento.*

CVm autem eligendus eſt Præſes, tunc oportet Legiferum & populum de Contracta ad Placitum convocare ad unum menſem prius,& fiat loco Placiti in illa Contracta; Debent tunc illi de Contracta nominare XII, & tertium decimum nominabit Legifer; illi quos volunt nominabunt tres Regi præſentandos, de illis qui in Contracta domicilia habent; Ex illis vero confirmabit unum Rex quem vult & noverit ad hoc idoneum eſſe: Quod ſi Rex non eſt in regno, faciat tunc hoc locum tenens Regis, & Præſes

ſes jurabit eodem modo ſicut Legifer juſaverat.

CAP. III. *De Legifero aut Præſide muneribus corrupto.*

SI Legifer judicaverit ſumendo munera pro Sententia ſua, det Regi quod accepit, & ſolvat XL marcas, & perdat officium Legiferatus, & nunquam recipiat illud: Quod ſi Præſes per munera idem fecerit, ſit idem jus; Quod ſi idem fecerit Exactor, ſit idem jus; Quod ſi quis ex Aſſeſſoribus Iudicii ſeu Nempdariis idem fecerit, ſit par jus; & nunquam amplius habeat locum in Nempda: Quicunque vero poteſt aliquem convincere, quod occaſione prædicta munera accepit, habebit tertiam partem, hoc eſt VIII ſolidos, & VIII marcas, quas delinquens pro pœna ſolvere tenetur.

CAP. IV. *Nemo ex Præſidibus poteſt duabus Contractis præſidere.*

NEmo ex Præſidibus poteſt in pluribus Contractis exiſtere Præſes, niſi in una tantum, ſibique debetur tertia pars ex omnibus mulctis quæ cedunt Contractæ, & Contracta diſponat de aliis duabus partibus reſtantibus: Omnis deinde introitus Con-

tractæ de rebus communibus, dividi debent inter populum Contractæ, secundum quod quis habet in possessione terrarum, de quibus tertia pars cedit Regi.

CAP. V. *De modo intimandi Placitum.*

SI occurrit dies placitandi in festo, vel die jejunandi, intimet Præses in Placito priori, quo die vult præsidere in Placito; Quod si non intimaverit, tunc non accedant Contractistæ impune, usque in alium diem quo Placitum tenere potest; At Præses solvat III marcas.

CAP. VI. *De temporibus placitandi in Contractis.*

TRia sunt tempora placitandi in anno in quolibet territorio; Primum est à vigesima die nativitatis usque ad septuagesimam Dominicam; Secundum à festo S. Botulphi usque ad festum S. Olavi. Tertium à festo Michaëlis usque ad Adventum. His vero temporibus debent Præsides Placita tenere, uno die in qualibet septimana, & in loco consueto.

CAP.

CAP. VII. *De temporibus placitandi in territoriis.*

PLacita territorialia teneri debent modo infrascripto: Primum feria II proxima post vigesimam diem nativitatis; Secundum, feria II proxima post Dominicam quæ est in medio quadragesimæ. Tertium feria II post festum S. Petri. Quartum feria II proxima post festum Michaëlis. Quilibet autem Legislator tenetur Placitum tenere semel in anno, in qualibet Contracta in suo territorio; Quod si pluries vult, hoc ejus arbitrio relinquatur: Et hoc intimari faciat per quatuordecim dies priusquam velit Placitum habere.

CAP. VIII. *De citationibus, & contumacibus.*

QVando quis de altero conqueritur, tunc oportet quod conquerens, ad domum illius de quo conqueritur accedat, cum duobus domicilia habentibus, & citare eum ad Placitum, dicereque sibi quid habeat adversus eum; Quod si comparuerit in primo Placito, secundo, vel tertio ad respondendum pro se, experiundo pro jure, vel solvendo pœnam, bene

est; Quod si non venerit, neque testes ejus impedimentum probantes, tunc mulctandus est III marcis propter contumaciam, & Præses ex tunc statim XII nominet qui reum accedant, & bona tollant pro pœna ad valorem III marcarum; Atqui Actor procedat contra eum in primo, secundo vel tertio Placito de novo; Quod si nec tunc comparuerit non impeditus, tunc condemnetur in principali, & Præses nominet XII cum seipso & Exactore, ad compellendum ut Reus pareat judicato, & ad extrahendum III marcas pro contumacia.

CAP. IX. *De Reo comparente.*

QVando comparet ille cui aliquid objicitur, infra terminum à jure statutum, super illis caussis in quibus est conveniendus, responsurus, & Actor non vult, nec forte potest cum testibus convincere juxta decretum Præsidis, absolvatur tunc ille qui fuit citatus, & Actor in III marcis condemnetur; Atqui testes ad probandum semel tantummodo admittantur in eadem caussa.

CAP.

CAP. X. *De modo instituendi Placitum apud aliquem, & non facienda executione, nisi causſa discussa.*

NOn potest Præses Placitum ad alicujus domum vocare, ad aliquid illi auferendum, nisi prius XII desuper sint testificati, utrum sit legitime citatus, & contra eum sit legitime processum, vel non; Et omnes testes producti, jurent in eodem Placito quo debent testificari.

CAP. XI. *De præsidentia Præsidis omni die juridico facienda.*

PRæses in qualibet septimana præsidebit in Placito; Dies Placiti erit in qualibet Contracta die Dominico in loco Placiti, quia frequenter veniunt nuncii Regis, aut ejus litteræ; Sed non sit accessus ad Placitum in causſis, nisi semel in hebdomada.

CAP. XII. *De Reo convincendo per testes, & contestatione litis.*

QVando Actor potest testibus convincere illum quem citavit, in illo die quo sibi respondere tenetur, si tunc Reus negat, debet Actor nominare testes suos, & proximo Placito facere illos jurare, & testificari facere,

seu examinari. Quod si non obtineat responsum antequam Placitum jam sit finitum, debet tunc in eodem Placito testes nominare, & facere nominari: Quod si sit caussa talis propter famam exorta, & non potest testibus probari, & ille cui impingitur delictum semper negat, debet tunc ille contra quem fama est, se obligare ad purgandum se, & in proximo Placito se purgare; Et nisi responderit in ultimo Placito, tunc utrumque faciat in eodem Placito, obliget se ad purgandum & purget se, vel habeatur pro convicto: Omnia juramenta & testium depositiones, fieri debent in die quo tenetur Placitum, & in loco Placiti.

CAP. XIII. *De Reo comparente, Actore contumace existente.*

QVod si ille comparuerit in Placito, qui se vult juramento purgare, & Actor non comparet, vel est præsens & non vult dare formam jurandi, juret tunc Reus, & tale juramentum censetur esse legitime præstitum; Quod si quis vult tale juramentum annullare, jurabunt tunc III quod juramentum fuit legitime præstitum, & postea annullare volens non auditur, nisi

nisi Rex velit inquirere veritatem. Si quis autem movet causlam aliquam in uno Placito,& in alio aliam,dicitur variare, & si cuiquam hoc improperatur, & VI compurgatores eum purgaverint, sit immunis à pœna; Quod si non poterit se purgare, solvat Actori VI Oras; Postea vero prosequatur causlam, sicut in primo Placito proponebat: In hoc casu si se purgarit, vel non, sive sit Actor, sive Reus, sit idem jus.

CAP. XIV. *De eo qui à pluribus est citatus.*

QVando unum plures ad Placitum faciunt citari, ad unum diem in quo Placitum tenetur, respondeatur tunc illi qui primum citavit, & postea unicuique prout citatus fuerat; Quia non potest unus nisi ad unam objectionem in uno Placito respondere, neq; juramentum præstare nisi unum: Quod si quis dicat se prius citasse quam alius, debet tunc Præses illi primum justitiam ministrare qui prius vult alium convenire, & postea aliis, prout causlæ se habent.

CAP. XV. *De præsidentia quam facere tenetur Præses.*

OMnidie juridico debet Præses, vel ejus locum tenens, ad Placitum venire in loco Placiti, vel solvere III marcas illi qui de eo conqueritur, & tunc Actor & Reus sint eiusmodi juris, sicut fuissent si Præses in priori Placito affuisset; Quia omnes legitimæ probationes, & juramentorum delationes, debent secundum Sententias procedere.

CAP. XVI. *De causis in quibus Præses allegat se jus ignorare.*

QVando aliquis venerit ad Placitum, & petit justiciam sibi ministrari à Præside, & si ostendit se nescire jus in illo casu, tunc potest causam suspendere, & deliberare usque ad proximum diem juridicum, quo tunc tenetur Præses illi justiciam ministrare, vel solvere III marcas, nisi juraverit se ignorare jus in illo casu, referaturque tunc causa ad Legiferum.

CAP. XVII. *De jurejurando, & quando unus dicit esse juratum, & alius negat.*

QVando aliquis venerit ad Placitum juramentum delaturus, vel testi-

testimonium facturus, quod si Actor, Exactor & Præses juramentum remiserint, valeat tantum ac si juraſſet; quod si alter dicit juramentum esse remissum, alius non, probetur per VI qui in Placito fuerunt quid verum sit: Cuicunque autem aliquid objicitur, in quo aut debet absolvi aut condemnari, hoc fiat in loco ubi delictum est commissum, & loco domicilii solvat pœnam.

CAP. XVIII. *De termino comparitionis post citationem.*

QVicunque citandus est, si talis est extra Contractum, & tamen in Legiferatu seu Territorio, debet tunc citari coram parochianis in die festo, vel Placito; Et habeat terminum III septimanarum ad comparendū postquam fuerit legitime citatus; Quod si extra territorium, & tamen in regno est, habeat pro termino comparitionis VI septimanas, postquam fuit legitime citatus, & citetur ut superius est dictum.

CAP. XIX. *De executionibus Sententiarum, seu exactione pœnarum.*

QVando quis condemnatur pro suo delicto, Actor vadat ad Placi-

tum, & hoc nunciet Præsidi,& Præses nominabit illi XII qui accedant condemnatum,& bona immobilia ac gregem primo æstimabunt; Quod si hæc non sufficiunt, æstimetur tunc frumentum & fænum, & si talia sint in domibus obseratis, & Reus non vult aperire, potest tunc impune janua rumpi; Quod si neque ista sufficiant, æstimetur tunc domus; Quod si nec domus sufficiant, æstimabitur tunc ejus terra; Quod si nec illa sufficiat, tunc illa æstimetur à XII prout in villa eadem carius vendi solet: Et quæcunque æstimanda est terra pro executione Sententiæ, potest tunc talis contra quem fit executio, redimere terram infra III annos, secundum quod æstimata fuit: Quod si non potest, possunt tunc consanguinei infra idem tempus, & ille capiat agrarium qui eam tenet, & nihil defalcet in summa sibi debita: Quod si non redimatur infra III annos, retineat tunc ille terram cui adjudicata fuit, & nemo habeat ex consanguineis jus reclamandi, vel redimendi: Quotiescunque vero maritus sit pænalis, semper pars uxoris prius extrahatur tam in bonis immobilibus quam mobilibus; Sed si mulier deliquerit, & maritus

tus fuerit condemnatus, ſolvatur tunc pœna de bonis mulieris.

CAP. XX. *De fugitivis & ſolutis, & quando poſſunt captivari.*

QVando ille committit maleficium qui eſt vagabundus, & non habet quod perdere timet, & facit homicidium, vel vulnus infligit, vel rapinam exercet, accuſet tunc eum injuriam paſſus in uno, & poſtea in alio, & deinde in tertio Placito, Si venerit talis & offert ſe ad ſtandum juri, præſumitur pro eo; At ſi non comparuerit in quarto, tunc eo ipſo habetur pro confeſſo & condemnato, qui ſe ipſum condemnat, & ad pœnam ſolvendam tenetur, juxta delicti vel maleficii qualitatem: Quod ſi non habet domicilium, tunc conveniatur ibi ubi maleficium vel delictum eſt commiſſum. Poſtquam vero eſt ita condemnatus, permaneat tunc apud Actorem per unum annum pro quibus libet III marcis quas ſolvere tenebatur; Et eodem modo ſatisfaciat pro pœna debita Regi, & poſtea ſit liber à pœna Contractæ debita; Quod ſi fugerit, ſolvat III marcas quotiens hoc fecerit, & ſerviat per unum annum ultra, quam prius ſervire tenebatur.

Quod

Quod si ille fugerit qui delictum aliquod commisit, & injuriam passus eum apprehendere tentat, & si contingat illum fugitivum cædi, hoc potest impune fieri, nisi mors sequatur, tunc est pœna homicidii xx marcarum, ad tertiam divisionem applicandarum, & sic capiatur sine metu pœnæ; Quod si injuriam passus non vult illum captivare, faciat tunc hoc Exactor & Præfectus regius, aut ille cui pœnæ Regales ex aliqua concessione debentur: Actorem vero talem in nullo molestat, si ille qui delictum commiserat, fugit quando adhuc est in illius servitio cui fuerat condemnatus: Quicquid autem talis agit vel patitur, est judicandum sicut de libero homine judicatur in pœna solvenda.

CAP. XXI. *De habente domicilium quando propter delictum fugit.*

QVando domicilium habens committit in Legem, & parat fugam, sit caussa qualiscunque, si per se vult stare juri, in nullo puniatur; Quod si non vult, procedat tunc contra eum Actor in illa caussa, & executio fiat per Præsidem & alios in Contracta ad solutionem pœnæ, & quilibet partem suam accipiat, qui in caussa particeps est:

est: Quidquid vero sic tollitur ab aliquo per sententias & rationes, si judicabitur postea restituendum, restituat tunc unusquisque prout cæperit cum juramento; Nec tales punientur pœna raptorum, quia recipiebatur per sententiam & rationem.

CAP. XXII. *De gravato in executione.*

QVod si quis dicat se gravatum fuisse in executione, quia æstimatores plus ceperunt quam pœna fuit, standum est tunc juramento æstimatorum, qui æstimatores jurabunt se non plus extraxisse quam pœna poscebat.

CAP. XXIII. *De executione ubi æs alienum est in bonis Rei.*

QVando ille contra quem debet fieri executio, habet intus secum agrarium vel decimas, hujusmodi non æstimetur pro pœna; Quod si plures cum eo in bonis communicant, vel habent in depositum, vel societatem in grege cum aliquo contractam in præsentia testium, hoc non cadit sub æstimationem pro pœna, sed est segregandum, & deinde mulcta extrahenda.

CAP.

CAP. XXIV. *De modo exequendi, quando executores debent fieri.*

QVandocunque est facienda executio contra aliquem, tunc debent æstimatores intrare domum Rei, & æstimare de bonis pro unoquoque litis consorte quod illi debetur, & relinquere partem principalis Actoris, donec partem suam requirat.

CAP. XXV. *De pœna* XII *Assessorum nolentium absolvere vel condemnare.*

VBi duodecim Assessores judicii tenentur unum collitigatorum absolvere, & alium condemnare, & id non faciunt in eodem Placito, solvat quilibet ipsorum III marcas, nisi illi XII qui Regis judicium præferre debent, jurant causſam non satis manifestam, ideoque sequenti Placito dijudicandam: In omnibus vero probationibus, juramentis & testimoniis debent esse viri domicilia habentes.

CAP. XXVI. *De præconizatione quæ fit per bacillum, vulgo* Budkaffla.

QVando nuntius Regis venerit, aut litteræ Regis, Præses intimationem faciat in Contracta, emittendo

Bud-

Budkaffla, vel quando furtum eſt in Contracta commiſſum, vel homicidium ſit factum, aut quis deprehenditur cum alterius uxore, vel mulier violatur, vel aliquis ab eccleſia extrahitur violenter, vel à cœmeterio, qui ibi potuit immunitate gaudere.

Signum id ſcilicet *Budkaffle*, quod facit Præſes in qualibet trium partium Contracta, debet procedere & non retrocedere; Vidua autem non obligatur ad transferendum tale ſignum, niſi habeat filium qui XV compleverat annum: Quod ſi ſignum illud allatum fuerit ab oriente in villam, exeat ab occidente, & ſi à meridie, ad ſeptentrionem vadat.

Omnes vero obligati ſunt ad transferendum illud ſignum, tam tributarii quam coloni, & ſemicoloni, ſive ſint liberi à tributo, ſive non, & ſivè coloni ſunt eorum qui liberi cenſentur, ſive eorum qui libertate fruuntur: Quod ſi qui contendant, & alius dicit ſignum illud allatum, alius negat, præſumitur pro illo qui dicit ſignum allatum cum duobus teſtibus, & idem fit de illo juramento ſicut de aliis. Qui denique procurat quod ſignum tale recta via non vadat, aut ſupprimatur pro Legifero vel Præſide, ſolvat III

oras;

oras; Sed qui hoc facit impediendo ne Placitum fiat, cum venerit nuncius Regis, ſolvat ſimiliter 111 oras.

CAP. XXVII. *De objectione quam facit Exactor contra aliquem.*

QVando Exactor objicit alicui quod vulnus inflixit, vel ſanguinem fudit, aut alias verberavit, aut qualecunque crimen objiciat, & Reus dicit ſe occulte contentaſſe illum cui damnum intulit, at ipſe negat, ſi Exactor habet 11 teſtes idoneos qui hoc volunt jurare, quod id viſum & declaratum in eodem die, habeat Exactor idem jus convincendi Reum ſicut Principalis; At ille Principalis jus perdat quod habuit, & qui deliquit ſolvat pœnam tam Regi quam Contractæ: Quod ſi Exactor non poteſt probare, ut eſt dictum, Principalis in nullo condemnetur.

CAP. XXVIII. *De deſiſtente ab agendo.*

QVando Actor venit ad Placitum, & alteri aliquid objicit, ac poſtea deſiſtit à perſecutione cauſſæ, proſequatur tunc Exactor, & ibi Actor tacendo ſuum jus perdit.

CAP.

CAP. XXIX. *De Assessoribus judicii seu Nemdariis Regiis.*

CVm Rex vult videre Nempdarios suos, debet tunc Præses nominare XII ex Contracta, pro medietate nobiles liberos, & pro reliqua medietate tributarios, in quos consentiunt litigatores & homines de Contracta; Præses autem debet veridicos nominare, & non mendaces, aut lites habentes, vel voluntarie favorizantes, & Præses pro se debet esse unus de Nempdariis, & nemo alius in ejus loco, nisi impedimentum habeat, ut prius est dictum. Quando nominatur aliquis in Nempdarium in Placito præsens, & non vult intrare, solvat III marcas tributarius, & liber VI marcas.

CAP. XXX. *De exceptionibus contra Nempdarios faciundis.*

QVando Actor aut Reus suspectum habet aliquem de Nempdariis, debet suspectus surgere, & alius ejus loco deputari donec causa terminetur; Quem deinde illi XII condemnaverint vel absolverint, pro tali inviolabiliter habeatur, & contra illam Nempdam nemo potest appellare, nisi appellare velit priusquam juraverit, &

non admittitur per juramenta, neque aliam Nempdam contra hanc inducere poteſt.

CAP. XXXI. *Qualiter & quando eſt à Nempda appellandum.*

QVando quis vult à Nempda appellare priuſquam juraverit, ponat tunc in vadium Actor VI marcas, & quilibet de Nempda marcam unam, de quibus VI accipiat Rex, & VI apponentes; Quod ſi appellans ſuccubuerit, ſolvat VI marcas, IIII Regi, & III Nempdariis; Omnes vero teſtes coram Rege, vel Legifero, aut Præſide ſeu Nempdariis producti, debent jurare ſuper omnibus in quibus teſtificantur, & rogare Deum ſic ſibi eſſe propitium, ſicut ipſi velint verum teſtimoniũ perhibere in illa cauſſa: Quod ſi tales teſtes reprobantur in judicio Regis, ſolvant tunc III marcas dividendas in IIII partes, & nunquam poſtea erunt capaces facultate placitandi, jurandi aut teſtificandi; Sed vitentur tanquam infames, & ſubeant pœnitentiam, excludanturque ut perjuri ab Eccleſia, & ſolvant Epiſcopo III marcas.

CAP.

CAP. XXXII. *Quando Nempdarii non ſunt concordes, quod ſtandum ſit ſententiæ majoris partis.*

QVando Nempdarii non concordant, quem VII ex illis abſolvunt, ſit abſolutus, & quem condemnant, ſit condemnatus; Quod ſi illi XII neque volunt abſolvere, neque condemnare antequam Placitum diſſolvatur, ſolvat tunc quilibet de Nempda III marcas, in tres partes dividendas, Regi, Contractæ & Actori.

CAP. XXXIII. *De expenſis pro Nempdariis faciundis.*

QVando Nempda talis eſt habenda, debet tunc Præfectus regius illis providere de expenſis; illi quidem qui iudicium Regis habet cum VIII equis, Cancellario cum III equis, Præfecto cum V equis: Præſes autem provideat de expenſis Legifero cum VIII equis, & cuilibet Armigero de Nempda cum II equis, cuilibet tributario de uno equo; At pro eo quod Præſes debet huiuſmodi expenſas facere, levabit omnes mulctas, quilibet in ſua Contracta.

CAP. XXXIV. *Quando appellandum est a Sententia Legislatoris vel Præsidis?*

CVm Legifer aut Exactor Sententiam protulerit, & condemnatus vult appellare, debet tunc appellare in eodem Placito ubi Sententia fuit lata, & postea sublata est illi potestas ab illis appellandi.

CAP. XXXV. *Qualiter appellatur à Præside?*

QVando quis appellat à Præside, ponat in vadium XII oras, & Præses III marcas ad Legiferum; Si succumbit appellans, capiat Præses mediam marcam, mediam Actor, Legifer & Contracta mediam: Quod si Præses succubuerit, tollat unam marcam appellans, aliam Legifer, tertiam Contracta.

CAP. XXXVI. *De appellatione Præsidis vel alterius à Legifero.*

QVando Præses vel alius appellare vult à Sententia Legislatoris, ponat Præses, vel alius, in vadium III marcas, Legifer autem VI marcas; Quod si succumbit Præses aut alius appellans, tollat Legifer marcam unam,

unam, aliam Rex, tertiam Contracta; Quod si Legifer succubuerit, tollat tunc appellans 11 marcas, 11 Rex, & 11 Contracta.

CAP. XXXVII. *De pœna violantis sententiam Præsidis.*

QVi violat Sententiam Præsidis, solvat 111 marcas, pro Sententia Legiferi VI marcas. Istæ autem causæ debent terminari per Nempdam de Contracta, videlicet quando agitur de juramento regio violato, vulgo *Edzöre*, & causæ capitales quando quis venit vita plectendus, vel agitur simul ad perditionem vitæ & bonorum, aut de homicidio clandestino, vel ejus pœna, seu rapina, & si sint majores vel minores causæ; Omnes etiam causæ super violationibus Sententiarum tam Legiferi quam Præsidis, nisi subjaceant Nempdæ regali.

CAP. XXXVIII. *De examine & veritatis inquisitione per Regem reiteranda.*

REx potest de veritate inquirere, & ipse potest retractare male examinata, & quæcunque gravamina cognoscere: At Legifer debet causas per Leges decidere, nullusque innocens

damnetur ad pœnam, & nemo bis pro eodem facto puniatur.

CAP. XXXIX. *De judicio Regio, quod* Räfft *vulgo appellatur.*

QVando Rex vult generalem inquisitionem de administrata justicia facere per totum regnum, vel qui ejus autoritate fungitur, debet tunc hoc Rex protinus intimare in quolibet territorio, per VI septimanas priusquam id facere velit; Omnes tunc veniant ad proponendum querelas contra illos, qui ipsos injuste læserunt; Postquam autem sunt lectæ litteræ Regis in primo Placito, vel apud Ecclesiam ubi non est Placitum, debet quilibet suum adversarium citare intra XIV dies, Rex vel illius vicem gerens nihilominus ad judicandum procedet, licet non ille contra quem proponitur querela fuerit præsens: Hoc tenetur autem Rex intimare omnibus per suas litteras, quando vult talem reformationem seu tale Placitum facere, ut dictum est, & tunc non eo minus, quod quis venire recusat, debet Rex vel ejus vicem gerens justiciam ministrare in omnibus causis, ut jam est dictum, ac si talis compareret, nisi legitimum subsit impedimentum.

Hacte-

HActenus regimen politicum & civile Sueciæ è legibus ipsis fideliter expressimus, nunc quę superiorib⁹ annis consulto mutata fuerunt, necessario explicanda. Ac quidem primo quod dicitur capite tertio Regem assumi per electionem & non jure successionis, id anno 1544 Arosiæ unanimi & libero Ordinum regni & primariæ nobilitatis Sueciæ decreto mutatum fuit; cuius decreti exemplar hic ex Exegesi historica Stocholmiæ anno CIↃ IↃC X edita adjungere operæ pretium visum.

Vnio hæreditaria Arosiensis.

NOs subsequentes, potentissimi Principis Domini GVSTAVI Suecorum, Gothorum & VVandalorum Regis, omnium nostrum dilectissimi & clementissimi Domini, regni & regiminis consiliarii, Equites & Nobiles, Laurentius Siggonis de Sundby, regni Sueciæ Marschalcus, Steno Erici de Loholm, Ericus Flemmingius de Suidie, Ivarus Flemmingius de Sundholm, Ioannes Turonis de Lindholm, Canutus Andreæ de Ockne, Turo Trolle de Berquara, Gustavus Olai de Torpa, Magnus Ioannis de Bro, Birgerus Nicolai de Vines, omnes equestris ordinis: Ionas Olai de Hakesta,

Suanto Sture de Ekeſio, Abrahamus Erici de Ekeberga, Petrus Brahe de Rydboholm, Axelius Andreæ de Lenna, Nicolaus Krumme de Orboholm, Georgius Normani, Bero Claudii de Leppos, Laurentius Turonis de Penningeby, Gabriel Chriſtiani de Moreby, armigeri & Senatores regni; Axelius Erici de Heredſeter, & reliqui qui nominatim recenſentur numero cxxvi Illuſtris regni Sueciæ Gothiæq; nobilitas, nomine noſtro & noſtrorum ſucceſſorum, hæredumque, vigore harum litterarum fatemur, & teſtamur, nos omnes unanimiter & peculiariter, (in noſtro arbitrio relicti, non coacti, aut compulſi) cum generali congregatione, & adunata Senatorum Regni Sueciæ Corona, Equitum, Nobilium, Epiſcoporum, Prælatorum, Indigenarum, Ordinum, & promiſcuorum ſubditorum frequentia, adhibita in conſilium ratione, diligenter perpendiſſe, quod nobis, qui univerſæ patriæ noſtræ & Coronæ Sueticę velut membra & fulcimenta ſumus præcipua, non ſolum præſentia commoda, ſed etiam futura, (adjuti gratia & auxilio divino) ſummo ingenio, ſapientia, & prudenti conſilio, ad opus glorioſum perducere, atque illa negotia, quæ

Coronæ

Coronæ & omnibus regni indigenis sunt emolumento, incremento, utilitati, paci, & tranquillitati, considerare & studiose perpendere incumbat; Insuper quibus adminiculis regni & omnium nostrûm detrimenta ac suppressiones prævenîri, atque protelari, propensa voluntas, amicitia, amorq; implantari, mutua concordia, certa fiducia, & jugis conspiratio, undique provenire valeant; Et alias, omnium seditionum, malarum suspicionum, similiumque passionum radix, ex qua periculosæ simultates pullulare solent, funditus evelli queat, illa serio procurare; sicut etiam nunc, pro ingenii nostri facultate, studiosissime factitatum. Enimvero ex vetustis recentibusque in memoria hominum adhuc vigentibus historiis exemplisque liquido perspicuum evadit, omnibus retro sæculis potissimum per capitis, id est, regiminis, & membrorum, videlicet subditorum, dissensionem, plurimas in Rebus pub. illasque periculosissimas metamorphoses derepente contigisse; Sicut etiam sæpenumero ex talibus scintillis pernicioſa erupisse incendia, unde rapinæ, cædes, tumultus, sanguinis copiosa profusio, aliaq; detrimenta innumera, progressu temporis ex-

titerant. Quocirca ubi regionum his contraria remedia, per Dei gratiam & naturam Incolarum, providentiam, consilium, & eutaxian investigantur, ut inter Dominos & subditos firmus amicitiæ nodus stringatur, fides, sincera confidentia, & obedientia, animis inseratur, & multa vigeat providentia, atque circumspectio, hactenus, & ab ipsis propemodum surgentis mundi incunabulis, testantur monumenta historiarum, ejusmodi regnorum incrementa singularia, celsitudinem, & constantiam, pacem, tranquillitatem, atque fælicitatem inusitatam. Quamvis vero hujusmodi regionibus, nonnunquam grandes tumultus, hostium impressiones, & alia infortunia acciderint; Nihilominus tamen plerumque sub indigenæ alicujus regimine, optime sunt gubernatæ, protectæ, & propriis privilegiis conservatæ. Verum quandoquidem majorum exemplis, & facinoribus, undequaque satis perspectum, atque cognitum, ex quo fonte, tot calamitosissima juxta ac periculosissima dissidia, regnorum ruinæ & interitus profluxerint, nimirum ex dissensione, & litigio, in Regum inauguratione oborto, in Rege desi-

designando, certantibus suffragio Regni ordinibus; E contra unde, & quibus adminiculis, pax interna, concordia, & fœlicitas rerum omnium introducta, & constabilita semper fuerint: Nam si rem suo momento examinaverimus, inveniemus profecto, enumerata ubertim inde pullulare commoda, quando in ejusmodi Regum designationibus, æquas sanctiones, atque patriæ leges, nec non genuinam sanguinis lineam comitamur, unde talibus in regno dissidiis obstacula petuntur, & optimus animorum consensus conspiratioque firmius & profundius implantantur: Ideo ingenue fatemur, nos teneri, obligatosque esse, veluti synceros & primarios hujus regni indigenas, dum vitę nobis munere licuerit frui, una cũ reliquis incolis regni, pro tempore, Suecanæ reipub. & liberorum nostrorum, hæredum, & posterorum sempiternum subsidium, fælicitatem, pacem, atque unionem arctissimam, ad effectum glorioſum perducere, imo omne periculum, & unde aliqua dissensio, aut perditio, futuris temporibus sensim suboriri posset, de medio prorsus tollere, & removere, ne ad illa offendat, velut obstacula, posteritas. Itaque unanimi Senatorum

torum consilio, Equitum, Nobilium, Episcoporum, Prælatorum, Civitatũ, Incolarumque omnium, & subditorum consensu, voluntateque, principio apud animum nostrum, sicut fideles & recte consulentes subditi, secundum præceptum divinum, Regni hujus pervetustas laudabilesque consuetudines statutaque sedulo ponderavimus, & justa trutina examinavimus, quod S. R. Gustavus noster, à præpotente Deo destinatus Dominus, & à nobis universisque Regni Sueciæ inhabitatoribus unanimiter electus, & coronatus, & ad hoc regni fastigium, dignitatẽ, & laborioſum regimen, non velut externus quispiam, aut per vim & arma, evectus sit; sed secundum regalis lineæ propaginem, & sanguinis scaturiginem illustrem, ascenderit; ac velut is, qui ad ejusmodi honorem & regium solium proximus hæres extiterit; Nec minus ob deperditi prorsus regni hujus & incolarum vindicationem, liberationem, consolationem & prosperitatem, gravissimo regni & regiminis oneri humeros prompte submiserit; Et quidem ea tempestate, cum patria charissima (nullo jure, causa, titulo, aut legitima expostulatione præmissis) in maximi & pernicioſissimi

cioſiſſimi hoſtis, Chriſtierni ſecundi Regis Daniæ, violentas manus, tyrannidem, & extremam neceſſitatem incidiſſet, atque hinc rapinis, cædibus, incendiis, ſanguinis profuſionibus, & aliis permultis tribulationibus iniquiſſime pergravata afflictaque diu fuiſſet; Regni quoque Indigenæ, ſine libertatis aſſertore, vindice & protectore, prorſus ad extremam perniciem ſuppreſſionemque omnes derelicti eſſent: Deinde non ſecus ac Princeps vere Chriſtianus, fidelis Patriæ defenſor, pro nobis & liberis noſtris, inclyto Sueciæ Regno, præſentibus & ſubſequuturis Regni inquilinis, & in noſtram conſolationem, atq; rerum augmentum, & quidem pro ingenito amore erga tellurem Suecanam, ſuoſque ſympatriotas, & ſubditos, opibus ſanguinique nequaquam pepercerit, ut nos & noſtros poſteros priſtinæ libertati reſtitueret, multis tribulationibus & ærumnis maximis benigne ereptos: Proinde ut præpotens Deus pro tam ineffabili ſua gratia laudem atque gloriam conſequatur, clementiſſimus Dominus noſter atque Rex Guſtavus, nec non S. M. illuſtris filiorũ poſteritas nata, & naſcitura, animi quampiam gratitudinem, & officiorum promptitu-

ptitudinem in nobis ſubditis & velut membris Regni primariis deprehendat, Regnum quoque univerſum, & nos illius Incolæ, in pace & tranquillitate (divino opitulante auxilio) confirmemur, & conſervemur; Præterea ne periculoſæ diſſenſiones in hoc Regno (unde armorum tumultus & alia Regni detrimenta gliſcere conſueverunt) denuo emergant; Sed potius Regni Moderatores, & ſubditorum frequentiſſimus cætus, eo firmius ſtabili & inexpugnabili concordia colligentur & velut incorporentur; Idcirco nos unanimiter, & ſpecialiter, cum ſingulis & univerſis Nunciis terreſtribus, in hiſce & aliis Regni negotiis plenipotentibus, potiſſimum vero & ante omnia in hoc magni momenti & ſummo pæne articulo, ad communitatis & noſtrum omnium inſtantiſſimam petitionem propoſito, ut videlicet tempeſtive, omnium conſenſu illud ſtudioſe perpendatur & tractetur, cujus beneficio hæc Regna, ſi fortaſſis quæpiam deceſſio aut animorum pernicioſa fieret perturbatio, (quam Deus Opt. Max. quam diutiſſime clementer avertat) de legitimo Rege atque Domino ſecura & certificata exiſterent; Inſuper ne in tali

tali casu forte fortuna in suffragio electionis ferendo; aut alias quæpiam dissensio, vel tumultus, non sine summo Regni discrimine, suscitentur, & incendantur; Nos, inquam, una cum illis, illique nobiscum, in nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Communitatis totius nomine votoque secundum Incolarum omnium transmissam & nobis exhibitam plenipotentiam, desiderium, & petitionem flagrantissimam, tempestivo consilio annuimus, unanimi consensu concludimus, & consensimus, elegimus, promisimus, & juravimus, Quod cum Serenissima pro tempore apud nos rerum potiens Regia Majestas clementissimus Dominus noster, Rex Gustavus, velut naturalis secundum lineam & hæreditarius Sueticæ Coronæ Moderator, & alias in Regno prævisus, electus, & inauguratus, confirmatusque Rex existat; Et apud Suecanam Rempublicam omnesque Regni Indigenas, summa & innumera propemodum fidelitatis officia (qualia hisce Regnis vix antea, vel ab ipsorum primis exordiis, ab ullo eorum Rege & Domino collata) benigne deposuerit; Nimirum ad pacem & rerum fælicitatem nos collapsos

lapsos erexerit, atque ab extrema necessitate vindicaverit, & nunc R. M. prole hæreditaria (quæ nobis & universo Regno futura consolationi, & gaudio) decorata sit, Nos eandem R. M. teneram progeniem hæreditariam, natam, & inposterum nascituram, velut etiam nos secundum naturam & leges Christianas decet, ac ratione familiaris lineæ convenit, oportetq;, pro nostris legitimis Moderatoribus, & proximis Sueticæ Coronæ hæredibus, prorsus, velut posthac efficaciter exprimetur, electuros; velut hisce etiam promittimus, eligimus & acceptamus; Atque ut in transactione Orebrogiana, à Senatorio ordine obsignata, juramentoque confirmata, in omnibus suis articulis, uti par est, quam diligentissime & solidissime de hac re asseritur; ita hisce denuo confirmetur, & stabiliatur, cujus vigore, atque hujus præsentis obligationis & literarum robore, ejusmodi unionem, promissionem & obligationem, secundum jusjurandum à nobis omnibus depositum, stabilimus, & renovamus.

Nec minus unanimiter & speciaLiter hisce pro nobis & nostris successoribus, coram Deo, ejusque sacratis-

simo

simo verbo pollicemur, (quod si quidem hæc electio, & inauguratio, secundum divinam ordinationem, & providentiam, pervetusta inprimis & laudabilia jura regni Sueciæ, Senatorii ordinis, Nobilium, Civium, & promiscuæ Communitatis consilium, assensum, decisionem, legitime, digne, utiliter, & nobis omnibus Regnoque universo in sempiternam fælicitatem & auxilium facta sit circa potentissimum Principem & Dominum Gustavum, Suecorum, Gothorum, & VVandalorum Regem electum, coronatum, & à Deo nobis præordinatum; atque circa S.M. hæredes, natos, & nascituros, non secus ac superior illa designatio, juramentum, & promissum suadent, quibus S. M. & Diademati Suetico obstricti sumus,) nos fideles & obedientes R. M. futuros, eamq; promptitudinem, securitatem & magnanimitatem, quæ fidos subditos, Dei, omnium mundanarum & Regni hujus priscarum laudabiliumque consuetudinum ergo condecet, atque convenit, firmiter, inviolabiliter, & irrefragabiliter, nunc, & perpetuis temporibus, sine intermissione præstituros, atque omnia diligentissime facturos, ad quæ, ut fideles erga Regem

& Dominum noſtrum ſubditi ſumus obligati; vitæ opibus, conjugibus, liberis, & omnibus quæ poſſidemus minime parcendo, pro ſuæ majeſtatis & patriæ utilitate, in neceſſitate conſtituta, ita ut cum regia majeſtas hæc exegerit promiſſa, fideliter ſimus exequuturi, cumque regia majeſtate vitæ ac mortis ſtadium æquale ingreſſuri. Deinde, (cum æque Magnatum, ac omnium hominum vita, mortis ſit periculo expoſita) ubi Sereniſſimus Rex Guſtavus, Dominus noſter clementiſſimus, ex hac vitæ ſtatione ad æternam accitus fuerit beatitudinem, pollicemur, nos obligamus, juramento confirmamus, & hiſce eligimus quam firmiſſime, & perfectiſſime, & irrevocabiliter, unanimiter, & ſpecialiter, quemadmodum ſæpenumero commemoratum, ſuæ majeſtatis majorem natu filium, Illuſtriſſimum Principem Dominum Ericum, pro noſtro proximo, à Deo deputato & nunc inaugurato Rege, qui immediate poſt Sereniſſimi Parentis ſui ex hac mortalitate ad Superos felicem migrationem, ad regimen & regale faſtigium ingreſſurus, ac Rex noſter indubitate futurus; veluti nos pro nobis & noſtris ſucceſſoribus

soribus consentimus, confirmamus, & illum pro nostro Domino & Rege nunc acceptamus; Ideoque illi fidelitatem exhibituri, & salubria præbituri consilia; Nec minus etiam, ut præfatum est, moderno Regi Domino Gustavo superstiti, tum temporis, perinde ac modo, fidelitatem, firmiter, constanter, & inviolabiliter exhibituri, & conservaturi, vitamque ipsam cum sua majestate in discrimen (necessitate urgente) posituri: Quid multis? in omnibus consolationi & subsidio affuturi, idque facturi, & intermissuri, ut fidis & recte consulentibus subditis, pro tenore jurisjurandi, convenienter incumbit, quod è commodo suæ majestatis esse judicaverimus.

Sin vero talis forte obtigerit casus, quod Illustrissimus noster proximus Rex futurus Princeps Ericus, Deo ita disponente, Regiæ familiæ & Ducalis hæredes masculos nanciscereturr, qui morti illius supererlent, primogenitus illius, Regni gubernaculo admovendus; & ita per sequelam, de linea ad lineam, ut decedunt, & accedunt, unus post alterum, ad regiminis apicem penetraturus, regnumque gubernaturus. Hoc pacto S. M. inclyti filii, nati, &

naſcituri, à nobis, & noſtris ſucceſſoribus, pro legitimis Regibus, hæreditariiſque Dominis, ad ſceptrum Suecanum inaugurati, deſignati, & jurejurando confirmati. Quod ſi vero Princeps Ericus, qui noſter proxime futurus & jam deſignatus Rex eſt, ex voluntate divina, ſine Regalibus & Ducalibus maſculis hæredibus naturæ debitum compleret, proxime genitus benigniſſimi Domini noſtri Regis filius, Illuſtriſſimus Princeps Dominus Iohannes, qui ſecundum juſtam genealogiæ ſeriem ſecundo genitus eſt, omnino eadem ratione & modo, qui in Duce Erico inaugurando abſolute expreſſus eſt, Regales faſces, veluti deſignatus juramentoque confirmatus Rex, capeſſet; Quem volumus, & tenemur prædicto modo, & ratione, pro noſtro Rege & Domino prorſus irrefragabiliter & irrevocabiliter aſſumere, deſignare, illi promittere & jurare fidelitatem, & ſecuritatem, quæ ſancte in perpetuum, ſine omnibus effugiis doloſis aut contradictionibus, ſervaturi: Pari modo fidi, propenſi, morigeri, ſubſidio, conſolationi, & auxilio eſſe, & perſeveraturi, prompte vitam & ſalutem noſtram cuivis cum illo diſcrimini expoſituri; Imo cum illo

illo (velut fideles & recte consulentes decet esse subditos erga legitimum Dominum, & Regem,) nullam detrectaturi fortunam: Eadem ratione, si Ducis Iohannis Regales & Ducales hæredes aliqui fatis supereslent extremis, major natu filiorum, clavo Regni potietur; & deinde, qua præfatum ratione, & modo, de linea ad lineam, uno succedente alteri, quemadmodum in articulis electionis proxime futuri Regis Dn. Erici verbotenus est expressum, servandum, & perficiendum est, regiumque Diadema apud illum, aut illius natum, vel nasciturum filium, à nobis, & nostris posteris, pro hæreditario Sueciæ Rege designatum, electum, & jurejurandum confirmatum, permansurum.

Etsi autem contingeret Dominum Iohannem, hac designatione & electione secundo electum & designatum Regem, sine masculis hæredibus mortem oppetere, tum deinceps Regalis dignitas & sceptrum ad Sereniss. R. Gustavi clementissimi Domini nostri juniorem filium, Illustrissimum Principem Dn. Magnum jure devolvetur, ac iisdem conditionibus, & rationibus, sicut de verbo ad verbum de duobus præmemoratis S. M. filiis, Dn.

Erico & Dn. Iohanne fratribus expreſſum & enucleatum eſt, Sueonum Imperium, velut deſignatus, juramento confirmatus, & ſtabilitus Sueciæ Rex, acceptabit, illumque pari modo, proxime ſecundum alios, pro Rege & Domino noſtro firmiter & irrevocabiliter ſuſcipiemus, deſignabimus, ſpondebimus, & jurabimus promptitudinem, fidelitatem, & ſubſidium virile jugiter, firmiter, conſtanter, & irrevocabiliter, ſine omni tergiverſatione, atque ſubterfugio, illi fideles, addicti, recte conſulentes, auxilio, & conſolationi ſemper futuri, vitam, & ſalutem noſtram cuivis periculo illius cauſa exponere nihil dubitantes, velut fidelibus & recte conſulentibus ſubditis erga ſuum legitimum Dominum Regemque ſeſe gerere convenit: Vbi etiam eiuſmodi caſus Duci Magno humanitus acciderit, ut univerſæ carnis viam ingrediatur, major natu filiorum eius, in regimine & dignitatis Throno ſuccedet, eoque modo, quo de vita decedunt, de lineà ad lineam propagationis (quemadmodum in Erici & Iohannis deſignationis articulis, de verbo ad verbum commemoratum eſt) obſervandum; Atque ita eum, qui tum temporis proximus ſecundum lineam

lineam dignoſcitur, acceptabimus, & confitebimur pro noſtro & Regni deſignato ac electo Rege, illique jusjurandum, fidelitatem, opemque præſtabimus, & cum illo vitam ſalutemque nulli ſubducemus diſcrimini; Et ut multa paucis complectar, ea moliemur, quæ fidis & bene conſulentibus ſubditis jure conveniunt.

Quod ſi denique ſecundum Ducis Magni de vita migrationem nulli Regales & Ducales forent filii hæredes, is deſignatus & juramento confirmatus Rex Sueonum cenſebitur, qui deinceps per Dei proviſionem, ex Regio ſanguine, & filiis hæredibus, major natu in eiuſmodi Regia progenie ſuperſtes fuerit, & illo pacto, de linea ad lineam, ut decedunt, unus ſecundum alterum in Regia proſapia, non ſecus ac de tribus præfatis R M. Domini noſtri clementiſſimi hæredibus filiis maſculis, illuſtriſſimis Principibus, & fratribus, Domino Erico, Domino Iohanne, & Domino Magno dictum, ac in eorum expreſſum eſt deſignationis articulis; Atque illo modo ſine ſubterfugio, aut dolo, illuſtriſſima hac familia ſuperſtite, jugiter procedendum; Quocirca nos obligamus, promittimus, & juramus, quod deſignationi

huic ſtirpis Guſtavianæ, velut illa de verbo ad verbum hic expreſſa & confirmata eſt, quamdiu S. M. Domini noſtri benigniſſimi Regalis maſcula progenies & filij hæredes in vivis extiterint, conſtanter, firmiter, & irrevocabiliter adhærere velimus; ac quoad præfata Regis Guſtavi familia perſeveraverit, illam pro legitimis & naturalibus Regni noſtri Principibus atque Dominis, de linea aut progenie, ad lineam ſeu progeniem, velut in hac Regia deſignatione commemoratum eſt, obſervaturi ſimus; Præterea vitam, bona, famam, ſalutem, uxores, & liberos, omnemque poſſeſſionem noſtram, una cum illa objicere, vivere, & mori, ac quemvis fortunæ ictum ſimul præſtolari velimus eſſe parati: Nec minus adverſus externos & internos Regni Regiſque hoſtes, qui pro tempore ſunt, aut inpoſterum futuri, (neminem prorſus, aut ullam Nationem, Regionem, eminentioris aut humilioris conditionis Magnatem, excipientes) conabimur inſurgere, cuique nos alacriter objicere, ipſiſque factis declarare & perficere illud omne, quod nos erga legitimos indigenaſque Reges & Dominos noſtros ob patriæ noſtræ libertatem, ſicut fideles nationis

tionis Sueticæ viros & recte consulentes subditos oportet, atque expedit, divino præcepto & juramenti obligationisque nomine obstricti sumus; Neque posthac quemquam alium, externum, aut internum, (quacunque tandem ratione id unquam fieri poterit, nihil excipientes) pro Domino aut Rege nostro sumus agnituri; sed potius eum persequuturi, viriliterque suppressuri. Nam quousque Serenissimus Rex Gustavus & eius prosapia viget, illam pro nostris & universi Regni naturalibus & electis Regibus agnoscimus, & deligimus; in contrarium neque inimicitia, amicitia, favores, munera, consanguinitas, odia, simultas, aut cuiuscunque generis causæ, vel hominum fraudes, insusurrationes, vel minæ nos unquam permovebunt.

Sed si forte acciderit aliquem indigenarum, aut aliquam Provinciarum, unam vel plures, nunc vel futuris temporibus (quod tamen Deo auxiliante non fiet) secessionem à nobis facere, aut alias tumultum vel rebellionem suscitare velle, tum nos obstringimus, arctissime colligamus, sancte promittimus, & adstipulamur, quod vigore huius juramenti, & obligationis, eiusmodi

modi tumultum pro voto R. M. atque postulatione syncere supprimere, & vindictam à fontibus repetere simus adjuturi; Nec iis palam aut clam, consilio vel auxilio, hospitio, aut alimentis, armis, aliisve rebus necessariis succursuri; Sed potius eosdem, etiam vita nostra in periculum adducta, persequuturi, ac ad internecionem deleturi, tanta quidem potentia, & multitudine, quantam S. M. exigere voluerit, sine subterfugiis auxiliando: Non absimili promptitudine nos adversus alias ab externis imminentes impressiones, & arma, necessitate ita urgente, opponemus, pro S. M. & liberorum incolumitate vitam fideliter & viriliter cuiq; telo exponentes: Quod si contingeret etiam (quod Deus clementer diu avertat) R. M. Dominum nostrum clementissimum Regem Gustavum lucis huius usura privari, antequam proxime succesturus Rex ad annos legitimos pervenerit, protinus post obitum R. M. quatuor aut pluribus ex Equestri ordine, & ad hoc munus alias præordinatis, qui una cum sereniſſima Domina Margareta, Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Regina, Regnum quam optime in tranquillitate interea temporis moderentur,

derentur, regimen committemus; Quibus atque Sereniſſimæ Dominæ noſtræ Reginæ obedientes, ſubjecti, conſolationi, auxilio, ſubſidioque futuri ſumus, quouſque proxime gubernaturus Rex, Dominus Ericus, ipſemet regimini dextram admovere poterit, perinde atque ille in gubernatione foret conſtitutus, noſque omni pacto fideles & recte conſulentes ſubditos deprehendet.

Sin etiam R. M. Dominus noſter benigniſſimus Rex Guſtavus, aliis S. M. filiis, natis & naſcituris, qui ad Regale culmen tranſcendere non poſſunt, ſecundum conditi teſtamenti & Ducalis ſuſtentationis tenorem ac vigorem (quemadmodum literæ & ſigilla ultimę voluntatis, ſuper hoc conficienda & confirmanda, expreſſerint) quaſdam Ditiones in hoc Regno, unde pro dignitate familię vivent, cum conſenſu Ordinum Regni aſſignaverit, prę-fatis Principibus, Moderatoribus, & Dominis noſtris, ſine omni tergiverſatione, velut naturalibus aſſignatæ Provincię Ducibus & electis Dominis, fideles, addicti, & æqui conſultores inveniemur; Atque cum illis aliud nihil actitabimus, quam quod fideles & probos perdecet ſubditos: Similiter

Sueticæ

Sueticæ coronæ, eiuſque Regi debitam obedientiam & obſequium præſtabimus, perinde ac fidelibus incolis atq; ſubditis convenit, & ut in teſtamento regio comprehenſum fuerit. In ſumma, adverſus hæc præmemorata, & præſentem inaugurationem, ſempiternamque unionem, nihil unquam moliemur; Sicut neq; ab internis, aut externis, ut quidquam in illius præjudicium fiat, permittemus; Verum unanimiter præſentibus & futuris temporibus, eiuſmodi inaugurationibus promiſſa, omnium noſtrum beneplacito, velut expanſis accepta ulnis, ſervabimus, illa magnanimiter protegentes; inſuper R.M. & univerſi Regni ſalutem, pacem, atque tranquillitatem promovebimus. Si autem caſus ita ferret, fortunæque inclementia, (quod Deus clementer prohibeat) R. M. illiuſque maſculos hæredes ſine Regalibus & Ducalibus maſculis hæredibus fatis concedere, filiabus, una aut pluribus de hac familia ſuperſtitibus, tum temporis electio ad univerſos Regni Senatores reliquoſque fidos Sueciæ incolas devolvetur, in quibus conquieſcet, neq; ad quemquam externorum & peregrinorum derivabitur, jure reluctante patrio.

Simi-

Similiter etiam ex universo Regno (velut eiusmodi Magnatum derelictis filiabus facere par est, & secundum regalis codicilli tenorem R. M. & hæredum regalium soboli fœmineæ præstare tenemur) de honesta & digna dote providebimus, matrimonioque illustri elocabimus, atque alios testamenti regalis articulos irrevocabiliter fideliterque adimplebimus, & irrefragabiliter exequemur: Deinde quidquid hac inaugurationis obligatione, aut nupera, ut etiam in Transactione Orebrogiana, & in omnibus aliis decisis scriptoque comprehensis Transactionibus, R. M. eiusque hæredibus, per nos, & alios Regni Senatores, Equites, & plebeios, viventes aut mortuos, promissum & subscriptum est, ac quicquid in Regio testamento de verbo ad verbum articulatim & perspicue comprehensum est, illis omnibus quam fidelissime sine dolo malo, mora, novis inventionibus, quacunque humana astutia satisfacere, & ea inviolabiter irrevocabiliterque exequi conabimur; Simili modo unanimiter, & peculiariter, vigore nostri juramenti, ratione famæ, conscientiæ, vitæ, fortunarumque, in verax & sempiternum testimonium illa stabilimus, & confirma-

firmamus; A quibus proinde neque gratia, munera, ſimultates, conſanguinitates, amicitiæ, aut inimicitiæ, vel aliæ hominum paſſiones, inſtantiæ, vel adinventiones, nos unquam remorabuntur, aut dimovebunt, ita nos Deus adjuvet, & ſuum ſanctum Euangelium. In cuius rei uberiorem certitudinem, majorem ſecuritatem, & confirmationem, quod hæc Tranſactio, perpetuus conſenſus, & unanimis deciſio, ac quidquid præterea literis his commiſſum, ſecundum noſtrũ omnium, nempe univerſi Senatus, Equitum, Epiſcoporum, Prælatorum, Ordinum, Civitatum, Communitatis in toto Regno, unanimes, & diligentes obſecrationes, petitiones, conſenſus, in libera noſtra relicti conditione, non coacti, neque compulſi, pro ſalute totius Regni Sueciæ, & inhabitatorum proſperitate, tranquillitate, commodo, & emolumento peractum eſt, inviolabiliter ſit ſervandum; idque ipſum eſſe promiſſum, juramento cõfirmatum & ſtabilitum, conſtet; Nos R. M. & Regni Conſultores, Nobiles, & plebeii, unanimiter, & peculiariter, nomine omnium confratrum noſtrorum, & Ordinum Regni, cunctarum Civitatum, & Communitatis, præſentium,

tium, & abſentium, quiſque pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus heredibuſque, in perpetuum teſtimonium, quod ſcilicet præmemorata univerſa firmiter & inviolabiliter obſervaturi ſimus, noſtra propria & agnata ſigilla, ſcienter hic infra appendere curamus. Datum & exaratum Aroſiæ, in octava Epiphaniæ Domini, quæ incidit in XIII Ianuarii, anno CIↃ IↃ XLIV.

Secundo obſervandum, quum regnum jam à tempore Guſtavi R. Romana ſacra abdicaverit, etiam omnia quæ caliginem Romanam arguunt in uſu eſſe deſiiſſe: itaque in ſolemni Regis inauguratione, reliquiarum tactionem jam dudum omitti, de qua leges loquuntur libro ſecundo cap. IV; atque adeo ſolemni illi juramento, *ſic mihi Deus ſit propitius in corpore & anima, ac Virgo Maria & S. Ericus, omneſque Sancti, ac reliquiæ Sanctorum, quas manibus tango;* ſucceſſiſſe hoc; Hoc juramentum ſancte promitto atque ſpondeo omnibus meis ſubditis, junioribus & ſenioribus, natis & naſcituris, non charis ſicut charis, præſentibus ut abſentibus, fideliter me ſervaturum, illud nullo pacto prevaricando, ſed potius cõſummando, omni prorſus regio amoris affectu; *ita Deus*

corpori

corpori & animæ meæ sit propitius, ut ego hæc fideliter servavero: ut patet ex exegesi in juramento à Sigismundo Rege præstito: atque ad eundem modum in omnibus juramentorum formulis, quæ ab inferioribus magistratibus & aliis regni ministris præstantur: ideoque neque legiferos, uti dicitur lib. VIII legum, cap. I, super reliquias jurare. Quare & hoc, quod capitulo de ingenio, moribus & consuetudine Suecorum sub finem ex iisdem legibus additum; *alia medietas pro anima ejus expenditur;* sane hodie intelligendum, nimirum medietatem illam non in missas pro defunctis, sed in alios pios usus erogari. Hoc quoque, quod lib. II, cap. XXI, dicitur de equitibus Archiepiscoporum; hodie in usu esse desiisse accepimus. Denique quæcunque ullo modo Romanam caliginem sapiunt, jam mutata esse monemus, postquam reformata religio secundum Augustanæ confessionis tenorem in Regno fuit stabilita. Quæ uti perpetuo & inviolabiliter custoditetur, hæc assecuratio à Rege Sigismundo, quia ipse Romanæ addictus erat, post inaugurationem fuit accepta: Nos Sigismundus, Dei gratia, Sueciæ ac Poloniæ Rex, notum facimus, quod

quod cum Dei præpotentis clementi providentia, & illo jure hæreditario, quod ſecundum Ordinum Regni Sueciæ electionem & litterariam obligationem ad nos devolutum eſt, regni Sueciæ gubernaculo, omnium conſenſu legitime potiti ſimus; ideo hiſce viciſſim, amoris & gratitudinis ergo, omnibus noſtris ſubditis promittimus & ſpondemus, primo & præcipue, nos omnes & ſingulos, ſummos & infimos, Eccleſiaſticos & Politicos, Nobiles & plebeios, in priſtina religionis libertate conſervaturos, ut illa omnino libere ſine omni impedimento fruantur, ſecundum Auguſtanæ Confeſſionis (quæ Carolo Quinto in Comitiis Vindelicis anno 1530 porrecta) tenorem, & velut avi noſtri extremo, parentis autem (piæ memoriæ) primo gubernationis tempore, & nunc ad extremum anno 1593, menſe martio, ex omnibus huius regni Ordinibus Vbſaliæ approbata & acceptata, omnes in ea protegentes religione: neque ullis ſcholis aut templis uſpiam in regno erectis, bonis aut malis mediis violentiam illaturos; ut neque in Eccleſiaſticis aut Politicis regni muneribus, ullius hominis utemur opera qui non huius præfatæ & generalis per

Sueciam fuerit sectator religionis; Alias quiete & pacate sese gerentibus, legibus Sueciæ, privilegiis & prærogativis æqualiter cum aliis Sueciæ subditis, pro sua quilibet conditione & statu, integrum sit frui. Deinde, chariſſimam patriam noſtram Sueciam, quo decet amore, proſequemur; indigenarum fidelium ſalutem & commoda fideliter ſemper circumſpiciendo, una cum juſtitiæ ſingulari patrocinio, &c. Datum in arce Vbſalienſi, XIX febr. anno CIↃIↃXCIV.

Cæterum ut de politico & civili regimine porro dicamus; Quinque ſunt in regno Sueciæ collegia primaria, penes quæ Regni eſt adminiſtratio.

Horum primum eſt, IVSTICIAE. Cuius tres ſunt Ordines: Supremus, medius, & infimus. Ex quibus hunc obtinēt legiferi civitatum plebeii quidem, ſed honeſtiſſimæ conditionis & juris Suecici periti: Iſtum provinciarum nomophylaces, communiter *lagmän* dicti, viri præcipuæ nobilitatis & dignitatis: Supremū vero illuſtriſſimi regni Sueciæ Senatores. Ad hoc judicium devolvuntur omnes cauſę, quotquot in forum veniunt per univerſum regnum, criminales & civiles, ut judicet an recte ab inferioribus judicibus defi-

definitum sit vel secus: nec datur ab hoc judicio provocatio, nisi ad ipsum regem, penes quem est, aut pœnam mitigare aut crimen abolere. Huic supremo Tribunali duo alia subalternantur; criminalium scilicet, & curiæ seu cameræ.

Alterum collegium est MARTIALE; cui res bellicæ deliberandæ, omniaque militiæ negotia ordinanda commissa. Oportet enim regiam majestatem non solum legibus esse armatam; sed armis quoque instructam, ut pace & bello recte possit gubernare. Huic collegio præest præfectus generalis exercitus.

Tertium collegium est CANCELLARIAE; in quo tractantur omnes causæ, tam ad forum politicum, quam ecclesiasticum pertinentes. In hoc præsidet regni Cancellarius; qui diplomatibus, edictis, mandatis, epistolis, & aliis scripturis regiis conscribendis, atque signandis, quæq; ad eum mittuntur accipiendis & legendis præest. Dat etiam responsa regis nomine, & in senatu proponit de quibus rebus deliberandum est: denique senatus consulta regiaque comitialia placita ac decreta litteris mandat, & in publicum edit: est etiam cognitor privatarum queri-

moniarum & provocationum, quæ ab urbanis & oppidanis atque adeo præfectorum judiciis ad regium tribunal devolvuntur: in summa secretariis, scribis, sacerdotibus, cæremoniisque Ecclesiasticis moderatur.

Quartum collegium est AMMIRALITATIS; cui curæ sunt omnia navalia, classes, machinæ bellicæ, commeatus, miles nauticus, omnisque bellicus in re navali apparatus, denique omnia, quæ ad tutandum imperium, & mare ab hostibus & piratis tutum præstandum pertinent. Huic collegio præest Ammiralius regni, qui & sub se alium habet Ammiralium, & in singulis navibus singulos præfectos.

Quintum collegium est REGIAE CAMERAE seu FISCI; in quo omnium totius regni redituum, seu tributorum, tam castrorum, quam prædiorum, nec non teloniorum, tam in mari quam in terra, rationes redduntur, examinantur, expunguntur atque laudantur. Huic collegio præest Præfectus generalis ærarii; qui secum duos ex nobilitate habet, & scribas multos ex plebeiorum ordine; qui pro labore annuatim habent stipendium. Hic quoque præfectus est promus & condus

the-

thesauri regii, symbolorum seu insignium regni; qualia sunt corona, pomum, sceptrum & gladius: monetariæque officinæ magister. Denique stipendia, tam militaria, quam aulica, absolvit: reddendæ rationi soli regi obnoxius.

Inter hos præfatos primarios regni administros, recensendus MARSCHALCHVS, aulæ regiæ magister, & administrator concilii publici; penes quem est jus convocandi senatum ex mandato regis, imperandi silentium, & attentionem indicendi; faciendi potestatem in comitiis dicendæ sententiæ; legatos externos excipiendi, illisque de rebus necessariis providendi; ejiciendi è concilio eos qui ad id non pertinent; decreta regia in causis infamiæ & ultimi supplicii exequendi; pompas publicas ordinandi; compescendiq; motus inquietorum & turbulentorum. Marschalco quoque competit in aulicum comitatum, administros mensæ regiæ, & similes, jurisdictio & animadversio. Denique in publicis conventibus & regi in publicum prodeunti præfert baculum erectum ligneum.

Proximæ post hunc dignationis tam regni quam regis administri, sunt Conneſtabilis, Marschalchus exercitus,

Pincerna, Camerarius, Secretarius, Referendarius, Quæstor publicus, Assessores judiciorum criminalium, & Assessores curiæ seu cameræ.

Porro, hoc regnum, non solum in Provincias, Ducatus & Comitatus, sed quælibet etiam Provincia dividitur in territoria sive præfecturas, vulgo *Häradh* dictas; quę parochias aliæ plures, aliæ pauciores comprehendunt.

Quælibet provincia habet suum Marchionem seu gubernatorem, quem Suecica lingua *Landzherre* seu *Stathaller* vocant. Ejus munus proxime ad regiam majestatem accedit. Quælibet præterea præfectura suum *Leensmannum* habet; & quælibet parochia suum *nembdarium* seu *nemdemannum*. Quæ officia omnia distincta sunt & subordinata; ab hoc fit accessus ad istum; ab isto ad prætorem, & legislatorem; ab his fit appellatio ad præfectos & legiferos; ab his ad judices curiæ, si quæstio est de re tributaria; vel ad judices criminalium, si quæstio est capitalis; ab his ad concilium supremum Iusticię: ab hoc ad ipsum regem. Scitum porro in Comitiis Stockholmiensibus ann. 1602 in hunc modum: Quanquam diversis temporibus, patentia prodierint in vulg⁹ diplomata, velut

velut Iura & regni Statuta mandant, ne ullæ querelæ, quæ in judicio territoriali sunt examinandæ, in aula excipiantur, priusquam illic examinatæ & dijudicatę fuerint;& deinceps nisi ruri decidantur, legitima quadam appellatione, eminentiori subjiciendas judicio: Attamen paucos admodum huius rei observatores invenire licet, sed quotidie S. C. infinitis obruitur querelis, ut impossibile sit S. C. universas semper decidere. Quamobrem nunc statuimus,ut præfata exequutioni tradantur mandata, omnibus querelis in judiciis territorialibus discussis primo, & legitime dijudicatis: postmodum vero qui hac sententia non fuerit contentus, ad aulæ forum appellet, ubi justicia illi administrabitur, à quo nemini licebit appellare. Si quis igitur ad aulam aliquas detulerit querelas, non hac ratione prius discussas, remittendus est.

Quot sunt provinciæ, tot sunt itidem legiferi; nempe undecim. quibus plus quam trecenti Vicecomitatus seu territoria subjiciuntur. Legiferi partem suæ provincię quotannis circumeunt & perlustrant, donec omnes & singulæ provinciæ visitentur. circulo quodam absoluto, ad priorem partem

denuo visitandam revertuntur. Quæ res quemadmodum ad statum reipub. sigillatim dignoscendum & ad remedia opportuna, morbis publicis adhibenda, mirifice prodest, ita populos sublevat recreatque: quandoquidem ex territoriis, & parochiis, quas visitaverunt, tributum alternatim exigunt, ne universæ simul aggraventur.

Denique hæc quoque è Comitiis Lincopiensibus anno 1599 adjicere visum. Sexto, etiam perpendimus, & æqua lance examinavimus, ut quandoquidem jura mandent Suetica, quo judicia prætorialia pro dignitate peragantur, in iis Regni ditionibus, in quibus necessitas illa postulaverit, ut unicuique, diviti æque ac pauperi, summo ut infimo, qui alterum alicuius nomine jure posset compellare, justitia administretur; Cumque eiusmodi judicia hac hominum memoria vix in hoc regno celebrata deprehendantur, & ideo plurimæ controversiæ inter familias, & varias partes adversarias, non decisæ adhuc persistant, examinari & determinari non valentes, priusquam in memoratis judiciis sub legitimo fuerint examine : Quamobrem cum Illustrissimus Princeps Dux Carolus id consultum duxerit, ut semel

aut

aut bis in anno hæc judicia prætorialia instituantur; nimirum hyemali tempore Vbsaliæ in nundinis Distinganis; æstate autem circa festum S. Petri hic Lincopiæ: Ideo nobis etiam necessarium videtur, ut hac ratione utroq; anni tempore, aut certe uno eorum, prout commoditas, tempus, & negotia postulant, hæc judicia peragantur.

Quando autem eiusmodi tribunalia celebrantur, secundum jura citra sex hebdomadas publicata judices terrestres ad præfata judicia accedent, & non alii eorum loco, sine legitimo impedimento: His igitur judiciis omnes controversiæ, quæ alias coram judicibus provincialibus decidi nequiverant, examinabuntur & decidentur, cum aliis pluribus quæ illa consultatio super hac re conscripta comprehendit, & admonet, prout S.C. ante biennium etiam regni Ordinibus Vbsaliæ deliberandum proposuit, atque propediem ex typo divulgandum: Proinde quicquid in hoc foro prætoriali, inter partes adversarias judicatum & concluſum fuerit, firmum fixumque sine revocatione permansurum, contra quod nemo potestatem habiturus est appellandi, velut jura nostra illud

etiam expreſſe vetant: Quod cum ita ſit, provinciales judices, & qui eorum loco munus obeunt, in Regni Cancellaria ſua deponent juramenta; Quod etiam ſecundum Leges Sueticas in judiciis provincialibus, priuſquam poteſtate & munere judicis fungantur, facturi ſunt.

Similiter à nobis unanimiter & concorditer approbatum & concluſum eſt, ut quandoquidem multis annis ſuperioribus luſtratio bonorum regalium in hoc regno ſit intermiſſa, & conditio reipublicæ hoc tempore ſummopere poſtulet ut ea inſtituatur, quo partim regni corona cognoſcat, quæ ad illam jure ſpectent bona, ſine impedimento retinenda, partim etiam alii quod ad illos legitima poſſeſſione pertinet, illo libere fruantur, & utantur; Ideo ſummopere neceſſarium eſt, ut eiuſmodi bonorum regalium luſtratio primo quoque tempore in regni ditionibus inſtituatur & peragatur: Cumque ad hoc prudentes & juſti requirantur viri, qui ſine reſpectu & ullius authoritate illud legitime examinent, quod paſſim in illo munere & tempore occurret; Proinde S. C. ſtatuendum relinquimus, quorum opera ad hoc S. C. velit uti; nobis

nobis certo certius persuadentes, neminem eorum quos huic expeditioni idoneos S. C. judicaverit, & justitiæ amantes fuerint, hunc pro reipublicæ emolumento laborem detrectaturum.

Septimo, inter alia etiam illud deliberandum suscepimus, quod ut regni huius gubernator prope cognoscat, quantæ copiæ ex provincia quavis, & pedestres & equestres, sint exspectandæ, ac quanta fiducia, belli necessitate ingruente, in illis sit collocanda; Sicut etiam ne indigenarum multitudo toties militum conscriptionibus, velut hactenus factum est, molestetur. Quare à nobis unanimi consensu statutum est, ut certus quidam numerus equitum & peditum in quavis provincia, regni impensis annuatim & continuo alatur, in tanta multitudine, quantam S. C. ordinaverit, quorum salaria & sustentationes, quando domi remanent, neque in aliqua expeditione militari constituti sunt, ex coronæ proventibus tantæ numerabuntur, quantas super hac re ordinatio certa constituenda permiserit: Verum quando in expeditione aliqua militari, contra regni hostes, totus exercitus ex quavis ditione, aut ali-

aliquot illius cohortes terra vel mari expediuntur, tum cupimus ut ex provincia de qua miles desumitur, tantum victualium contribuatur, quantum continuandæ tempus militiæ postulat, quo non sit necessarium, ut una provincia contribuat pro altera, aliumque militem sustentet, quam eum qui ex eadem ditione egressus est, unaquæque suis copiis prospiciens: Atque cum in quavis provincia non sit æque numerosus miles, sicut neque indigenarum frequentia æqualis ubique, quæ subsidia latura est; Ideo etiam super hac re certa ordinatio constituta est, ut auxilia quæ hac ratione exercitus sustentationi impendentur, sint ubique æqualia, tam in una quam alia regni ditione, ut non major unius provinciæ inhabitatori, quam alterius incumbat subsidiorum militarium contributio: Deinde si militum in una provincia major esset numerus, quam contributione ex provincia facta sustentari in expeditione militari possit, ille defectus sustentationis ex annuis coronæ in eadem provincia reditibus supplendus, ut militi necessaria ex quavis ditione, pro tot mensibus, quot in expeditione est commoraturus, subministrentur:

Quæ

Quæ ordinatio ſemper obſervanda, ſive copiæ militares domi morentur, ſive ſub ſignis contra hoſtem militent.

Octavo, quandoquidem jura Suetica titulo de Eccleſiaſticis commendent, ut decimæ in agro ex decimo quovis manipulo ſeu faſciculo ſeponantur, ex quibus triens ſacerdoti pendendus: Itaque ut ejuſmodi decimæ, qua ille triens, qua reliquum quod in granarium Eccleſiæ inferendum, legitime ſecundum jura contribuatur, ut quilibet ſuam portionem ſine diminutione obtineat, propterea cum præfatis decimis inpoſterum ſequenti modo procedendum. Etenim omnes qui prædia tributaria inhabitant, atque colunt, frugemque aliquam referunt, ſive ex agris, ſive ſylvis uſtulatis, nullo excepto, decimum quemque faſciculum elargientur, ab una incipientes agri ſemita, & deſinentes circa alteram, ab illo manipulo facto exordio, quem primo ex agris deportant agricolæ, quouſque decem faſciculorum fuerit completus numerus; Deinceps ſacerdos trientem inde accepturus eſt, ipſum ſuo proprio granario inferens, & quando placuerit tribulis extundere curans; Verum reſi-

duum

duum à colono tribulis extusum, granario Ecclesiæ inferetur, velut hactenus factum. Denique ut dignoscatur quam juste & legitime persolvantur decimæ, quidquid Sacerdos obtinuerit decimarum, deposito juramento retinebit: Atque si præfectus decimarum in rei veritate cognoverit, aut Sacerdotem perverse fassum, aut rusticum injuste Sacerdoti vel granario Ecclesiæ decimas persolvisse, partem citabit ream ad judicium, secundum jura Suetica mulctandam: Insuper omnes præfatas decimas persolvere tenebuntur, sive sint generi, sive famuli, aut quicunque tandem agrorum culturam exercentes, nemoque prorsus ab illis pendendis sit liber, præter nobiles, quoad illa solum prædia, in quibus ipsimet commorantur, quantum ad illam portionem, quæ granario Ecclesiæ inferenda; Verum trientem sacerdoti pendendum unusquisque persolvet, cum suo sacerdote super hoc concordans.

IV. De

IV.

DE VECTIGALIBVS REGIIS.

TRIA ſunt genera vectigalium, ex quibus præcipui reditus regi Sueciæ annuatim proveniunt.

I. Primum *Fodinæ;* è quibus non modo cuprum, ferrum, plumbum, copioſe eruitur, ſed etiam argentum, ex quo thaleri Suecici cuduntur, qui propter argenti abſolutam perfectionem inter meliores cenſentur. Minerarum vero aliquæ impenſis regis effodiuntur, aliquæ privatarum perſonarum. illarum quidquid effoditur, rex habet: harum, non minus quam ſiliginis, frumenti, hordei, piſcium, boum, pellium, rerumque ſimilium, conſequitur decimam. Ex cupro, & ære, quod ex duabus tantum fodinis extrahitur, rex per hæc tempora 1050 *ſchipundt*, & aliquando amplius colligit. Atque ex abundantia dictarum fodinarum fit, ut non modo ad muniendas arces, ſed etiam ad armanda navigia magnus reperiatur numerus tormentorũ bellicorum, quorum ſumma ultra octo millia

millia aſcendere dicitur, quæ ex ære conflata ſunt: & in ſola arce Stocholmenſi quadringenta tormenta majora numerantur; & plura confici poſſent ſi opus eſſet. Quod ſi etiam ruſtici diverſarum fodinarum venas, quæ ſæpius reperiuntur, non abſconderent, haud fruſtra creditur futurum fuiſſe ut ad longe majorem ſummam aſcenderet utilitas, quæ ex illis fodinis extraheretur.

II. Alterum eſt *fructus frugum, & telonia*, tam terreſtria, quam maritima; nam rex per omnia regna tributum exigit & decimas, frugum, ſiliginis, hordei, butyri, boum, piſcium, pellium, rerumque ſimilium; quarum rerum ſumma & numerus annuus certo intelligi non poteſt, quamvis in fiſco regio certa eorum ratio habeatur; interim ad novem vel decem milliones aſcendere credibile eſt.

De teloniis hoc in comitiis Stocholmienſibus anno 1602 ſcitum invenio: De cenſu telonario, quem regni huius incolæ perſolvunt, more ſolito obſervandum, nimirum ut merces extra regnum mittendo mediatum cenſum perſolvant indigenæ; ex tranſmarinis autem oris merces excipiendo ſint liberi: tamen qui mercimonia emittunt

aut

aut recipiunt, rationibus & juramentis in veritate demonstrabunt, quod nullas ad peregrinos spectantes suis mercibus suppoſuerint: &, si quis deprensus fuerit, quod hoc pacto alienigenarum merces occultet & emittat, tam illis quam etiam propriis spoliandus.

In comitiis item Norcopię celebratis anno 1604: Siquidem ex antiquo tempore consuetudo viguerit laudabilis in hoc regno, prout Historiæ, & nonnullæ Constitutiones à Regibus, Gubernatoribus, Senatoribus, & regni Ordinibus factę testantur, ut pro mercibus quæ ex hoc regno exportantur, certa quædam summa solidorum thalerorum, aut etiam argenti non signati, in usum cudendæ monetæ pendatur à mercatoribus: Itaque ut optima moneta in regno signetur, eandem constitutionem renovandam duximus, ita ut omnes mercatores negotiantes, tam interni, quam externi, pro centum thalerorum mercibus quas hinc in exteras nationes transmittũt, in telonio decem solidos thaleros deponant, aut certe dextantem argenti, atque pro his protinus recipiant ex moneta Suetica, nunc per regnum usitata, integram suam persolutionem,

pro quovis ſcilicet thalero imperiali triginta ſex groſſos Sueticos, & pro quovis argenti dextante ſedecim groſſos Sueticæ monetæ: Proinde quicunque pro omnibus & ſingulis centum thalerorum mercibus, tot ſolidos thaleros aut argentum non depoſuerit, quot dictum eſt, illi prohibenda mercium exportatio: Sueticis tamen mercatoribus eo uſque liberum erit præfati argenti in telonio depoſitionem ſuſpendere, quouſque redierint, negotiatione & profectione in exteris expedita: Tum vero pro quibuſvis centum thalerorum mercibus quas ſecundum telonii ordinationem ex regno exportarunt, inferent in regnum nonaginta thalerorum varias merces, atque pro iis nonaginta thaleris, aut decem ſolidos thaleros, aut dextantem argenti per commutationem legitimam Telonario numerabunt ſecundum telonii ordinationem, nimirum pro quovis thalero triginta ſex groſſos Sueticos, & pro quovis dextante argenti Sueticæ monetæ ſedecim groſſos: Quicunque hæc non fecerit, prima vice quadraginta marcarum Sueticarum, ſecunda vice mercium quas importat, ſuſtinebit jacturam & mulctam.

Pel-

Pellium reditus & vectigal modo majus eſt, modo minus, prout frigora magis minuſve intenſa, & nives abundant; nam quo eæ magis excreſcunt, eo plura capientur animalia.

Ex regione Lapponum, qui in ultima ſeptentrionis plaga degunt, rex majorem pellium copiam extrahit; Vtque earum certiorem habeat rationem, quotannis illuc miniſtrum mittit, quem ſcribam appellant: Is adeo diligenter in captivorum animalium multitudinem inquirit, ut regium ærarium difficulter defraudari queat. Hæ pelles ad regem allatæ inter conſanguineos regis diſtribuuntur, interque amicos; & iiſdem plerique donantur; iiſdem & mercatores compenſantur, qui ad uſum aulæ ſuas merces dederunt, vel ſunt daturi.

Tertium redituum genus conſiſtit in vectigalibus arbitrariis. Nam quotieſcunque regi militares copiæ conſcribendæ ſunt, vel ad bellum à finibus regni propulſandum, vel hoſtibus inferendum; comitia regni ſolet indicere. in quibus exponitur, quanto commeatu, atque aliis, ad bellum gerendum opus ſit; & ordines regni conſentiunt in certam contributionem; quæ & crebra & interdum valde one-

rosa accidit subditis pro belli gravitate aut diuturnitate. Quare ut subditis aliquantulum succurreretur, in comitiis Stockholmiensibus, in quibus Sigismund. R. abdicatus fuit, statutum invenio in hunc modum. Ad extremum, concordibus suffragiis à nobis statutum est, quod, licet in privilegiis Nobilium permissum sit, ut quibus territorialis judicii authoritas redituque feudo cesserunt, eam partem multæ pecuniariæ retineant, quæ territorio adjudicata est; Tamen, quum illud repugnet è diametro Iuri Suecico, justumque sit ut quilibet sine impedimento sua prærogativa fruatur, ideo quodlibet territorium dimidium illius trientis, quem jura territorio adscribunt, & judices territoriales hactenus obtinuerunt, consequetur, ut in qualibet ditione, necessitate exigente, sit in promtu aliquid, quo opus non sit toties regnum contributionibus & novis exactionibus onerare: unde etiam indigenę territoriorũ iis providere poterunt de viatico, quos ad comitia aut alia negotia publica expedienda subinde ablegant: Quamobrem eiusmodi proventus in scrinio territoriorum, sub quorumdam fidelium virorum, sigilloque territorii, adservabuntur,

buntur, altera autem pars trientis judici territoriali cedet, velut antea.

Et in comitiis Stocholmiæ secundo habitis anno 1602. Quanquam Sudercopię concluſum, ut certus judiciorum codex, de omnibus negotiis toto anno tranſactis, ex quovis territorio in cancellaria deponeretur, alter autem in ſcrinio territoriali; ſimiliter hic Stockholmiæ anno 1599 deciſum fuerit, ut quodlibet territorium dimidium ex illo triente, quem jura territorio attribuunt, & judex provincialis hactenus percepit, retineret, in ſcrinio territoriali illa pecunia aſſervata, territorii & fidelium quorundam virorum ſigillis obmunita, quo in urgentibus reipublicæ neceſſitatibus aliqua ſint in promtu ſubſidia, neq; opus toties contributiones & exactiones ditionibus imponere: Attamen poſt illud tempus, quo hæc conſtitutio facta, pauci admodum codices judiciorum ad regni archivum ſunt deſtinati; ſicut neque in ſcriniis territoriorum multum in promtu deprehenſum. Proinde judicibus provinciarum poſthac incumbet, ut ſuos judiciorum codices præſentent ſine diuturniore mora; qui à nonnullis prudentibus viris ſunt revidendi, ratioque ab illis

reddenda quantæ annuatim mulctæ judiciariæ obtigerint, & quid ex illis in ſcrinium territoriale devenerit. quicunque ſecus fecerit, juriſdictione judicis provincialis privandus eſt.

Eſt nihilominus in hac contributione hæc differentia, quod nobiles pariterque eorum ſubditi nihil ut plurimum contribuunt, niſi ſumma neceſſitas ita flagitet.

Verum quoties decernuntur bella conſenſu nobilium, & defectus in commeatu reperitur, tunc ipſorum ſubditi medietatem taxationis pendunt pariter cum iis qui regiæ majeſtati immediate ſubjecti ſunt.

Tenentur præterea ſubditi vecturas præſtare non modo regi ſed & nobilibus: de quibus hæc invenio conſtituta fuiſſe anno 1597 in comitiis Arbogienſibus, ex reſponſo Caroli, tum Ducis Sudermaniæ, & Regni Gubernatoris; quod ita ſe habet; Poſtremo, quamquam clementiſſimus Princeps & Dominus, Dominus Carolus, media excogitarit, quibus promiſcua multitudo mitigationem & libertatem ſentiret plurimarum vecturarum, quibus hactenus fuerat onerata, maxime ab illis, qui teſtimonia & jus liberas vectiones exigendi prorſus nullum

lum habuerunt; nimirum ut in hunc finem ii, qui in regni aliisque necessariis negotiis emitterentur, certa commeatus insignia adferrent, de tot equis adipiscendis, quot indigerent: Verumtamen, quum hęc insignia in multiplicem usum devenerint, hoc nempe modo, quod plurimi insignia, quot & qualia voluerunt, confici procuraverint; itaque jam edictum & conclusum est, ut una cum eiusmodi vectionum insigniis, viatoriæ Illustrissimi Principis litteræ adjungantur, quibus significabitur, quot equos singuli per hæc insignia exigere debeant, quoad generaliter ab Illustrissimo Principe & Regni Ordinibus deliberatum fuerit, quomodo ordinatissime atque tolerabilissime in celeberrimo hoc regno, æque ac in reliquis bene ordinatis regnis, hæ vecturæ procedant; ita ut subditi & eorum & publicam utilitatem fuisse quæsitam inveniant. Quicunque vero plures equos, quam eius testimonia perhibent, exigere ausus fuerit, juste puniatur; atque hoc ipso nomine Scultetis & reliquis, tam generalibus, quam specialioribus, harum vectionum officiariis, defensoriæ litteræ communicabuntur, ne quisquam præsumat quemquam cogere

vel compellere. Et, si exigere non reveriti fuerint, nemo tamen ad eos testimoniis destitutos quoquam vehendos sit obligatus.

Denique in Comitiis Norcopiensibus anno 1604 de his constitutum in hunc modum: Licet nonnihil præteritis Comitiis consultatum sit qua ratione innumeræ illæ vecturæ, quibus regni inhabitatores gravantur, quam commodissime tollerentur: Attamen ad hoc usque tempus ad optatum effectum non pervenit, neq; subditorum gravamina hoc pacto quicquam diminuta, licet S. C. de hac re plurimum fuerit sollicita, & partim optimis quibusque ordinationibus, partim etiam publicis mandatis, ea subditos molestia liberare studuerit. Itaque cum eiusmodi vecturæ & hospitalitates per anni curriculum inæqualiter transeant, subditique præter modum illis graventur, & exhaurian-tur, ut annua tributa persolvere nequeant, ideo commodiori adminiculo visum est nobis non posse hæc gravamina removeri, quam ut subditi certam pecuniæ summam cõtribuant (ad quam sese promtos obtulerunt) ac deinceps tabernatores secus quodlibet iter constituantur, & ubi nec-

dum

dum sufficientes sunt, duo aut tres, vel etiam plures, prout necessitas postulaverit, ordinentur, qui omnes hospitalitates excipient, ad quos unusquisque, tam regni Senatores, quam alii per regnum proficiscentes, divertent, pro cibo & vectura legitime persolventes, secundum tenorem illius Mandati, quod clementissimus Princeps & Dominus noster in suo Ducatu super hac re publicaverat, illudque quantum ad proprios regni servitores aut nobilium famulos spectat: Verum alii qui per regnum proficiscuntur, velut mercatores, aut quicunque tandem, cum tabernatore quam possunt optime de solutione convenient: Atque si plures ad tabernatorem diverterint hospites, quam possit domo suscipere, & necessaria suppeditare, ad vicinum suum eorum quosdam expediet, sicut jura loquuntur, qui eadem jurisdictione, qua tabernator ipsemet, fruetur: Quare cum exercitus equestris aut pedestris ad lustrationem vel militarem expeditionem evocatur, menstruum, aut hebdomadarium, pro temporis cõditione, illi numerabitur salarium, ideoque ubi per regnum transierit, in diversorio solvere tenebitur, apud nul-

lum Sacerdotem aut ruſticum diverſans, ſine perſolutione; In quibus Commiſſarii, una cum aliis Ductoribus militaribus, diligentem inſpectionem circa equites & pedites habebunt, niſi pro meritis, ſi ſecus factum fuerit, pœnam ſuſtinere velint.

Similiter viri nobiles, intra Senatorium ordinem aut extra conſtituti, cum illi aut eorum famuli per regnum iter inſtituunt, pro ſe, ubi ad coronæ ſubditos pro aliqua promotione obtinenda diverterint, velut regii ſervitores ſolvent. Atque idcirco cum ſuis propriis ruſticis de aliquo ſubſidio hac in re impetrando, prout cum illis conſpirare poterunt, tractabunt. Neque regni etiam Domini, aut illorum famuli, nobilium ſubditos vectionibus aut hoſpitalitatibus moleſtabunt, niſi pro ſolutione legitima. Verum ſi contigerit, regni Senatores in reipublicæ negotiis longinquum aliquod iter inſtituere, regni Gubernator illis de viatico providebit. Hæc unanimiter de vecturis & hoſpitalitatibus ſtatuere omnino decrevimus: & ſi quiſpiam his in contrarium fecerit, ſine perſolutione apud Sacerdotem vel ruſticum diverſans, officiarii per regnum, & præfecti, una cum militibus

bus & plebecula viciniori, illum comprehendent, sive unus aut plures sint, & deinceps sententiam in eos ferent, pœna legitima subsequente, sine omni gratia reis facta, & appellatione ad superiorem Iudicem⌣, quemcunque tandem: Ideo in his Castellani, Præfecti, & Officiarii diligentem inspectionem habebunt, ut cum eiusmodi negotiis legitime & rationabiliter procedatur; alias pro infidelibus reipubl. viris æstimandi & officio exuendi, si amicitiæ aut alterius cuiuscunque habuerint respectum.

Similiter tenentur subditi contribuere ad dotem matrimonialem filiarum regis, cum earum aliqua nubit: Summa autem contributionis huius, hucusque fuit centum millium thalerorum, præter argentea vascula, & reliquam supellectilem domesticam; nihilominus rex illud superaddere potest, quod honestati consentaneum est.

De hisce Comitia Norcopiensia anno millesimo sexcentesimo quarto loquuntur in hunc modum: Quum jura Suetica mandent, ut quando rex prolem suam matrimonio jungere voluerit, teneatur omnis indigenarum multitudo dotem contribuere, atque

in

in Gustavi regis (laudatissimæ memoriæ) Testamento præcipiatur, ut quævis filia regis connubium initura, pro dote centum millia thalerorum consequatur, in legibus Sueticis vel Testamento præfato, ne verbo quidem facta mentione, quantum pro suo statu quilibet teneatur ferre suppetiarum; Proinde in his Comitiis assensimus ut S. C. una cum Regni Senatoribus hac super re ordinationem constituat, secundum quam nos postmodum, ubi hoc fortefortuna regis cujuspiam nostri evenerit filiæ, non tamen prius, lubenter auxilium laturi sumus, ita ut prefata summa quæ in Testamento exprimitur, nimirum centum millia thalerorum, compleatur.

Quoties vero rex procerum aliquem beneficio afficit, debet ei certum aliquem rusticorum numerum largiri, qui tanquam subditi & tributarii sub domino vivant.

V. De

V.

DE POTENTIA REGIS Sueciæ, tam mari, quam terra.

REx Sueciæ, præter triremes, quarum in illo mari non exiguus usus, ut plurimum supra quinquaginta naves bello paratas jam olim habuit; quarum quædam ad sexaginta, septuaginta, & octoginta æneis tormentis instructæ sunt. hodie haud dubio longe plures habet. Nec difficile ipsi est sex nautarum millia invenire, non solum remiges & navales socios, sed etiam magistros & ministros navium; quia universus tractus Findlandici maris, qui quadraginta millia passuum in longitudinem occupat, item maris Roderici, qui duplo major est, & insulæ non paucæ, continuam suppeditant incolis occasionem in mari versandi. unde experti audaceſque nautæ evadere queunt. Illorum nautarum acquirendorum, nec non detinendorum ratio, Regi non admodum dispendiosa est; quandoquidem ex tributo, quod provinciæ pendunt, distri-

distribuit inter ipsos carnes, pisces, butyrum, siliginem, hordeum, pro majori stipendiorum parte.

Hæ naves pacis tempore in varias regnorum partes distribui solent: Majora navigia in portu Stockholmensi stationem habent; qui adversus incerta ventorum ita munitus est, ut naves hic absque anchoris tuto possint consistere; & ab hostili insultu admodum securus, quum in intimo recessu jaceat, ad quem nonnisi per infinitos scopulos vigintiquatuor milliar. navigatione patet accessus.

Reliquæ regiæ naves in reliquis portubus locantur; maxime Findlandiæ, ut adversus Moscum præsto sint, si forte quid hostile moveat. Aliæ impedient, ne ex Germania, aliisque portubus, illuc afferantur ea, quæ in regni Suecici perniciem converti possint, ideoque regia majestas non admittit, ut illuc naves ullæ accedant trajiciantque, nisi ante licentiam ab ipso impetraverint, & scripta, sua manu vallata, exhibeant, quæ *pass* vocantur, & à Lubecensibus aliisque magno pretio comparantur.

Quid multa? Rex Sueciæ mari longe potentissimus est. Nec minus quoque terra valet; nam magnum numerum

merum peditum è ſubditorum delectibus poteſt educere ; qui jam tot annis , quibus nunc cum Moſco , nunc cum Dano , & maxime cum Polono , belligeratum eſt, ſummam in armis tractandis induſtriam ſibi compararunt, fortitudinemque à majoribus acceptam in immenſum auxerunt ; ita ut rex inprimis hiſce copiis fidat. Quatuordecim dierum ſpatio, cum ſubita neceſſitas ingruit, è ſuo regno rex duodecim peditum legiones, tribus millibus in ſingulas computatis, cogere per delectus nullo negotio poteſt. quas ei extra regnum ipſum, & ad Indos, ſi volet, educere jus faſque eſt.

Nec caret ad quæcunque belli munia obeunda idoneo & commodo equitatu Suecia, atque Finlandia; quippe quæ utraque magna equorum vi abundat; qui quantum reliquis Germaniæ & aliarum nationum equis cedunt magnitudine, tantum forte præſtant bonitate. Certe ſtrenui ſunt, fortes, & in illa humilitate robuſtiſſimi, laboris ſupra cæteros aſſueti & ad ſtuporem tolerantes, facillimi denique paſtus. Sola illorum humilitas in cauſa eſt, cur ad ſuſtinendos magnorum præliorum impetus eques fere

fere ex Germania hactenus lautioribus stipendiis fuerit allectus.

Quantum denique exercitum tam peditum quam equitum possit educere, vel præsens expeditio quam rex suscepit ut cognatos & confœderatos suos à tyrannide Cæsarianorum liberaret, facile fidem fecerit: in quam tantas copias eduxit (quibus & magna celeritate & non minori fortitudine atque prudentia tantas res hoc anno gessit) ut difficile sit numerum earum inire; historiæ nostri ævi memoriæ æviternæ consecrabunt, & omnis posteritas admirabunda obstupescet.

Multa quidem ab Oratore Pontificio (uti videtur) in relatione illa ad Pontificem Romanum de Regno Suecico, quæ extat apud Honorium, commemorantur, de militarium copiarũ huius regni per provincias distributione, de numero illarum, disciplinaque, & stipendiis: quæ quia hodie penitus in melius mutata sunt, & ad meliores hodiernæ militiæ leges composita; supervacaneum existimavimus hic adjicere.

VL.

VI.

SERIES REGVM SVECIAE.

PRIMVM MAGOGVM, Noachi ex filio Iapheto nepotem, Scythicæ gentis conditorem, ex Scythia Europæa Venedico sinu transmisso in Gothiam, quæ postea Latinis quoque Scythiæ nomine venerit, trajecisse, ibique populis, quos patrio sermone Getas appellatos volunt, imperasse tradunt. Incerta, ut videtur, origine, & confusis populorum appellationibus; quippe cum eruditiores gentis Gothicæ primordia ad Gomerem potius, Iapheti primogenitum, referant, genteſque Gothicam & Geticam distinctas ostendant. Magogo succeſſisse annales tradunt filios:

2. SVENNVM, unde nomen genti.

3. GETHAR.

4. VBBONEM, Vpsaliæ ante tempora Abrahæ conditorem. Inde *ad tempora usq; Salvatoris* generis humani, reges, qui *in patria* rebus præfuerunt, *triginta quinq;*, suis quenque nominibus, numerant nominantque, & inter eos multos à peritia sacrorum, sanctitate, virtute, & vitæ integritate, patriis

etiam carminibus celebratos. Præter hos alios *extra patriam* genti, quæ rege BERICONE civilium bellorum metu sedes mutaverit, imperasse, & inter eos fuisse vigesimum secundum

22. COTISONEM, Getarum regem, cui Iuliam suam Augustus despondit; quo tempore sibi invicem filiam eius in matrimonium petierat M. Antonius; ut intelligendus est in Augusto Tranquillus. Cæterum *in tempora Servatoris* imperium incidit ERICI tertii, cognomento *Diserti*, illud fastigium per merita adepti; cuius grave in Frothonem Danum, & una cum illo ad saniorem mentem & arctiorem amicitiam reverso in Slavos & Hunnos memorantur bella. Succesere Erico

41. GODRICHVS filius: dein

42. HALDANVS. Huius temporibus floruit monstrum illud fortitudinis (à qua ei & nomen) STARCHERVS; cuius non minus quam Tyrsæi cuiusdam incentiva ad virtutē extant carmina, Latine ex Suevico eleganter versa ante quadringentos annos à Saxone Grammatico. Post illos longa continuatur regum series; sed quorum maxime memoranda longa videntur damnata nocte, veluti in gente, actionibus potius, quam scriptis, æstimante immor-

immortalitatem. Ac longe quidem feliciori fato reliquum orbem migrationibus & imperiis inundarunt Ostrogothorum, VVestrogothorum, &, qui illis imperarunt, Theodericorum, Attalarici, Attarici, Totilæ, Teiæ, Radagiri, Alarici, Ataulphi, Sigerici, Valliæ, Roderici, reliquorumque nomina, quibus ipsi Romani, dum virtutem nec in hoste silent, ut suam extollant, digni obtigerunt vates.

100. Sub BIORNO, regum domesticorum centesimo, cum occidentem regeret Ludovicus Caroli M. filius, an. 816, Christo primum nomen dedisse Sueciam, laborante S. Ansgario, monacho Corbeiensi, author est Ludolphus de Bebenburg, libro de zelo Christianæ religionis veterum Germaniæ Principum.

124. ERICVS SANCTVS; post quem Suercheri & Erici posteritas alternis vicibus, & expletis utrinque odiis, regnat. Hic Ericus, Ingonis regis gener, post Suercherum, Gothorum Suecorumque regem, à proprio servo occisum, virtute regnum adeptus, nec sanctitate vitæ & imperii, nec legum, quas suis tulit, æquitate, nec expeditione convertendis ad Christum Finlandis, feliciter confecta, obtinuit, quo minus

scelere quorundam ex nobilitate, & Henrici Dani Magnique huius filii, qui præcipuæ faces extiterant, occideretur, anno 1160.

125. CAROLVS, Suercheri filius, cum biennium jam Erico regnante Ostrogothis, qui à Suecis in eligendo rege Erico dissenserant, imperasset, octo deinde annos utrique regno religiose præfuisset, odio propter amicitiam Danicam flagrans, à Canuto, Erici S. filio, persuaso Carolum cum Danis cædem paternam fuisse machinatum, in insula *Visings* occiditur anno 1168.

126. CANVTVS, Erici S. filius, pœnitentia ob cædem Caroli acta, & ab impugnatione Danorum prudentia Lundensis archiepiscopi aversus, moritur anno 1192.

127. SVERCHERVS, Caroli filius, vir militaris, prudens ac facundus, vindicandi in Canuti posteritatem pruritu à seipso mutatus, auxiliis suis, quos contra regnum ex Dania exciverat, exterminio ad Lenam VVestrogothorum devictis, cruento altero bello à suis occisus occubuit anno 1210.

128. ERICVS, Canuti filius, Suercheri manibus elapsus, feliciſſime annis septem, quos ut annos abundantiæ & fertilitatis summæ annales notant,

tant, regnat; sed hanc felicitatem Sueciæ ostensam fata octavo regni anno ultra esse non sinunt, extinguuntque una cum fertilitate, anno 1216.

129. IOHANNES, juvenis, pius, Suercheri filius, spe de se maxima concitata, anno regni tertio, præmaturo fato rapitur, anno 1222.

130. ERICVS Balbus, Erici S. pronepos, anno 1229. Contra eum affinis Canutus Folchungus conspirat, regno affinem ejicit; sed victoria mox versa occisus pacatum Erico regnum relinquit. Itaque arma in Tavestios infideles Ericus convertit, misso contra eos tertiæ sororis marito Birgero, Ostrogothorum Principe, viro magnarum virtutum, ac mox victis conversisque Tavestiis moritur, anno 1250.

131. VALDEMARVS, Birgeri filius, opera militis strenui, Ivani Blaa, absente patre eligitur. Pater, à Tavestiis reversus, dum sibi potius regnum deberi arbitratur, magnanimo Ivari responso (qui ex tunica sua, si, quod Birgerus objecerat, reges Sueciæ regno deficerent, se excussurum reges dixerat) territus, filio tutor fit, regnumque optime administrat. Birgeri morte sibi relictus Valdemarus, instinctu Danicæ

uxoris fratres indigne tractat, donec à Magno, Suecorum ſtudiis ſublevato, capitur, & mox Gothico etiam regno, quod ei humanitas fratris permiſerat, à proceribus privatur.

132. MAGNUS LADOLOS, fratri anno 1276 ſubſtitutus. cui cum Valdemarus, Danorum opera, continuo rem faceſſeret, poſt male fidam aliquoties initam reconciliationem captivitate tandem Valdemari lis ſopitur. Fraudi ei potiſſimum fuit, peregrinos ac Danos rerum ſummæ præfeciſſe: quippe à Dano proditore inter ſacra hoſpitalis menſæ ipſe captus eſt; ac de cætero acre Suecorum, & Folchungorum præſertim, ōdium contraxit; ipſis viciſſim tam infenſus, ut eos fraude circumventos & ad convivium ſimulata amicitia vocatos cum præcipuis familiæ capitibus trucidaverit, extincta tantum non tota Folchungorum gente. Mutata ſub finem vitæ hominis crūdelitas eſt ſanctitate, & in divini cultus exornationem propenſo affectu; mortuuſque eſt in inſula Viſingiana, poſtquam filium regno, filio tutorem Turgillum Canuti, dediſſet.

133. BIRGERVS, Magni filius, anno 1281; dehoneſtamentum ſui & Suecici nomi-

nominis, author fraternæ, qua nihil ſceleſtius annales habent, tragœdiæ. Remoto quippe Furgillo poſtquam felicia regni primordia ſævior Principis natura inclinaſſet, fratres proditionis inſimulavit, & in aperta cum iis bella deſcendit. à quibus primum captus, mox varia compoſitionis reconciliationiſque ſimulatione deluſos fratres, tandem ad convivium allectos capit, & in carcerem detruſos ſqualori & fami exanimandos relinquit, abjecta, ne ulla ratio ſubveniendi miſeris ſupereſſet, in profundum præterfluentis fluminis clave. Quam crudelitatem pertæſi Sueci Gothiq;, arreptis armis regem regno ejiciunt, qui miſere in Dania, una cum uxore, moritur.

134. MAGNVS SMEECH, filius Erici, à Birgero fratre occiſi, anno 1319. Nequicquam patrui veſtigiis territus, cõtemtu ſacrorum, portentis libidinum, & efferata crudelitate, publici prædonis meruit elogium. Indigne filiorum in regno conſortium, quod velle ſimulaverat, ferens, in Ericum armat percuſſorem. quo ante ſcelus oppreſſo, filium mater Blanca Gallica veneno intoxicat. Ab Haquino altero, Norvegiæ rege, bello captus, ſed mox liberatus, in Daniam fugit; ſponſam filii

Holsatiæ Ducem intercipi curat, Margaretam Danicam invito obtrudit,&, dum vim majorem parat, interim in Sueciæ proceres fulmen proscriptionis ejaculatur.

135. ALBERTVS, Megapolitanus, Magni ex sorore nepos, à proscriptis Procerum eligitur, ac paulo post Stockholmiæ consensu publico confirmatur. In regno constitutus concordiam Magno offert; sed is ad belli pejora versus capitur, ac septennio integro detinetur, donec à filio Haquino liberaretur. Albertus vero cum à Comitiis Vismarienſibus redux Suecos contemptim haberet, ipse contemtim & intolerabilis habitus bello cum Margareta, ad cujus ambitus nonnulli inclinabant, implicatur, capitur, totoque & ipse septennio detentus, fide tandem Suecos absolvere cogitur, anno 1394.

136. MARGARETA Danica, Haquini Norvegiæ regis uxor, trium regnorum Domina, anno 1395; mulier magni animi, si in virtutem potius impetus illi & perpetui motus inclinassent. Verum illa, cum à strictis regni legibus, quas promtissimo tamen animo juraverat, jurejurando ut puerorum astragalis habito, resiliret, avaritia inexple-

explebili omnia fœdaret, præcipua Suecorum hostibus crederet; Suecorum odio in Daniam cessit, postquam minis & terroribus Erico, ex sorore nepoti, quatuordecim annorum puero, regnum obtinuisset. Huius illud est; Cum monita esset ne contra verba concepta arces, tutelam regni, exterorum fidei committeret, Servate vos (dixit) qua potestis diligentia literas nostras; nos curabimus arces servari. Mortua est Flensburgi, & sepulta anno 1412.

137. ERICVS, Pomeraniæ Dux, anno 1396. Amitinæ perfidiæ lacte imbibito, violator pactorum, Nobilitatis, per bella externa, & navigationibus per sævas tempestates mandatis, extirpator, domi spoliator, contrarios habet Engilbertum, ex nobili Principem Dalcarlorum electum, &, hoc insidiis Danorum è vivis sublato, Carolum Canuti, regni gubernatorem. Profugus in Daniam, &, jam Danis quoque infensus, tentato & mox desperato in Sueciam, quæ redire & pactis stare volenti tendebat manus, reditu, Gothlandiam occupat, unde navigantes Aquilonares piratica infestaret. Verum tandem à Carolo Canuti obsessus, & à Danis sibi metuens, in

ditionem avitam & ocium conceſſit, cum à coronatione regnaſſet annos quatuordecim, anno Dom. 1437.

138. CHRISTOPHORVS Palatinus, Dux Bavariæ; Erici ex ſorore nepos; in quem, Danorum ſtudiis evocatum, nonniſi poſt longam dubitationem & ad plurimam Danorum commendationem conſenſum, anno 1442. Eius præclara initia diſſenſione & mutuis Suecorum ſupplantationibus mutata in peius. Geſſit cum Anglo bellum. quo victor, dum aſtu Lubecam adoriri, ſed fruſtra, parat; ad Sueciæ littus paſſus naufragium, animum occupandi Vandalicas civitates deſpondet. Libidinem eius fame ac peſte regni Deus vindicat: ipſe amiſſis in mari, quos ex Suecia exportabat, theſauris, in Dania moritur improlis, anno 1448.

139. CAROLVS CANVTI, à proceribus jugum exterorum faſtidientibus, poſt aliquot annorum interregnum rex conſtitutus, ad 1458, Norvegiam ſubjicit; bello à Danis moto graviſſimis eos damnis mulctat. In eum populus, Præfectorum inſolentia emotus, ſed claſſicum potiſſimum canente archiepiſcopo Vpſalenſi, inſurgit: dumque Carolus à Poloniæ rege advocaturus auxilia Gedanum ſecedit, Chri-

Christiernum Daniæ regem regno obtrudit & coronat. Catillus interim, ex episcopo Lincopensi factus miles, archiepiscopi nepos, collectis undique copiis, regno ejicit quicunque Christierno favebant, ipsum Christiernum, utpote qui nullis omnino pactis staret, glaciali & memorabili pugna devincit; Carolumque ex Prussia revocat. Qui reversus, recuperata favoris popularis aura, præfectos populo gratiores sufficit. Denique laudis ex virtute, non minus quam vitæ & regni, satur, obiit anno 1470. Post Carolum in serie regum nonnulli ponunt: 140. *Christiernum.* 141. *Ioannem filium.* 142. *Christiernum Ioannis filium.* Verum Ioannes Magni tres istos, qui *Principum* tantum nomine imperarint, substituit, omissis prioribus illis, quos ipse nonnisi factiosorum reges & usurpatores existimavit.

140. STENO STVRE, ex sorore Caroli nepos, *Christiernum*, qui classem & exercitum mœnibus Stockholmiæ admoverat, victum fugatumque, à Suecia repetenda toto vitæ tempore abstinere cogit. Inde *Ioannem* filium eius, evocatis Russis, & per occasionē discordiæ inter Stenonem ac Suantonem Sueciam aggressum, coronatumque

tumque per factiones, reprimit. Dum Ioanni marito captam Daniæ reginam in Smalandiam reducit, in convivio contracta ægritudine obiit anno 1503, regiminis trigesimo. Vir maximarum virtutum, sed hoc major, quod oblatum diadema respuit.

141. SVANTO, Ostrogothorum Princeps, & regni Consiliarius, Princeps Suecorum eligitur, delato clam Stocholmiam, arte Gaddi Lincopensis episcopi & militis strenui, defuncti Stenonis corpore. Inita cum Lubecensibus confœderatione, bellum cum Christierno secundo Ioannis (quem filii odio jam multi expetebant) gessit: in quem dum majora molitur, anno 1512, Principatus octavo obiit; à virtutibus insigniter instructus, liberalis, & prævia severitate mitis.

142. STENO STVRE junior, filius Suantonis; fraudes & insidias Christierni, missis ad familiare colloquium, quod ille petierat, Gaddo & Gustavo Ericson, prudentia evadit. Dum autem Christierno, cum novo exercitu Sueciam infestanti, strenue se opponit, inter fortissime dimicandum ictu bombardæ occiditur. Quo sublato, & Suecis dissipatis, Christiernus à Danicæ factionis proceribus vocatus coronatur:

tur: procerum præcipuis, quos sibi contrarios credebat, ipso coronationis die in convivio trucidatis: cæterum ob efferam immanitatem eodem, quo venerat mense, à regno exclusus, anno 1520.

RELIQVA SVECICORVM Regum successio,

E Thuani Historia & actis publicis.

CHristiernus primus, qui extincta veterum Daniæ regum stirpe ex Comite Oldenburgico ad regium Daniæ fastigium Senatorum regni suffragiis est evectus, commendatione præcipue Adolphi Holsati avunculi; seditione in regno Sueciæ suborta, & Carolo Canuto rege ejecto, Ioannis Benedicti archiepiscopi Vpsalensis factione evocatus, rex Sueciæ constituitur. inde Danis jus in Sueciæ regno. Ioannes patre mortuo regnũ Daniæ xxxii annos tenuit: rexque ipse à tumultuantibus Gothis, Stenone seniore ejecto, qui Carolo avunculo successerat, eligitur: sed inde mox deturbatus, & à Suantone, qui favore Henningi Gaddi, ecclesiæ Lincopensis antistitis, ab Ordinibus regni Stenoni suffectus erat, multis præliis victus in Daniam postre-

postremo se recepit. Suantone in civitate Arosiensi mortuo, Principe egregiis virtutibus cum paucis comparando, Steno Stura junior filius, vix tandem post multas contentiones, factione Danica Ericum Trollum Stenoni opponente, sed prævalente recenti paternorum meritorum memoria, à regni Senatoribus rex ordinatur. Biennio post Suantonem mortuum Ioanni decedenti successit Christiernus II; qui, pars magna cladium à patre acceptarum, jus, quod ex successione avi & patris in regno Suetiæ sibi vindicabat, armis persequi decrevit. Steno, ut sibi videbatur, in regno confirmatus, jam adulatorum, qui nimis multi sunt in aulis Principum, consiliis corruptus, multa perperam administrabat, & alienatis à se procerum animis, benevolétiam multorum ex populo amiserat: quibus compertis Danus, opportunum id rebus suis ratus, magno collecto exercitu in Stenonem ducit, & Stocholmiam Sueciæ regiam magna operum vi cingit: sed adventante Stenone, obsidionem solvit. quumque reflante vento exercitum toto trimestri transmittere non potuisset, summa omnium rerum penuria pressus à Stenone,

none, qui illius amicitiam omni ſtudio demereri ſatagebat, commeatum & fidem accepit, quo ſecure cum exercitu incolumi redire in Daniam liceret. Tantam humanitatem quadriennio poſt Danus deteſtanda fraude penſavit. nam, petito cum Stenone colloquio, quum paulum abfuiſſet quin Steno incautus in hoſtilem navem deſcendiſſet, hac ſpe fruſtratus, legatos à Stenone miſſos, Gaddum & Guſtavum Erici filium, captos ſecum in Daniam contra fidem datam abduxit. Summum violatæ fidei ſpecimen cum eo anno Chriſtiernus edidiſſet, ſequenti multo majus crudelitatis & perfidiæ ſimul edidit. nam, potentiori cum exercitu excurſione in Veſtrogothorum terras à Danis facta, & pugna ſupra mare congelatum commiſſa, ictu tormenti in femore vulneratus Steno cum paulo poſt obiiſſet, & Duce ſublato numeroſus Suecorum exercitus ſtatim diſſipatus eſſet, Chriſtiernus victor à proceribus regni, qui Danicæ factionis erant, evocatus, corona regia Stocholmiæ ornatur; eodemque die, veritus ne ſe abſente Stenonis liberi à contrariæ factionis Principibus rurſus in regnum reſtituerentur, clauſis urbis portis, præcipuos ex omnibus Ordinibus

bus viros convivio à se acceptos, populo astante & trepidante, ad XCIV obtruncari jubet, relictis ante prætorium ad horrorem per triduum cadaveribus. Stenonis ipsius corpus terræ paulo ante mandatum novi tyranni jussu effoditur, & cum reliquis crematur. Viduæ denique, & filii interfectorum, bonis spoliantur. Ita Stocholmia profectus cum multa sæve in multos passim perpetrasset, incolis ad facti famam ad XXX millia cum armis occurrentibus, ipse per devia & sylvas noctu potius quam interdiu iter faciens, in Daniam vix tandem revertitur; ubi tot cædibus efferatus, quum ne suorum quidem sanguine cruentam sitim restinguere posset, à Friderico patruo Holsatiæ Principe & Lubecensibus bello petitus, terrente conscientia, cum uxore Isabella Cæsaris sorore & liberis, in Zelandiam profugit, tertio post Stocholmiensem lanienam anno, qui fuit seculi XXIII.

143. Interea GVSTAVUS Erici fil., qui è manibus Dani evaserat, specie procurãdorum Christinæ Stenonis viduę negotiorum, Stenonis filia in uxorem accepta procerum favore ac Lubecensium inprimis opibus, regni vacui possessionem adeptus est. Is postea religionem

gionem majorum antiquavit, & confessionis Augustanæ doctrinam suscepit; &, postquam regno summa prudentiæ laude totos XXXVIII annos præfuisset, decessit anno CIↃIↃ LX, tertio kal. octob., relinquens ex Catharina Magni Saxoniæ Ducis F. Ericum, qui in regno successit; ex Margarita vero Erici Abrahami Loholmii fil. Ioannem; & Carolum Sudermaniæ Ducem.

144. ERICVS patri Gustavo in regno successit, Stocholmię an. CIↃIↃ LXI coronatus. Hic grave bellum cum Danis & Lubecensibus aliquandiu gessit; & vicinorum omnium odia in se concitavit; &, quasi id parum esset, etiam suorum animos in se irritavit. Ioannes frater, Finlandiæ Dux, cui turbulenta regis fratris consilia parum placebant, ducta viduę Catharina Sigismundi Poloniæ regis sorore, per Livoniam mense decembri itinere facto, Revalia in Finnoniam redierat, CXX CIↃ Ioachimicorum Polono sororio creditis; pro quibus arces & prefecturas aliquot Livoniæ pignoris loco acceperat. quod à fratre factum Ericus, ut erat suspicaci ingenio, sinistre interpretatus, quasi conscio, aut etiam fœderis contra se à Polono cũ Dano initi socio, primum

belli impetum in eum convertit, captumque cum uxore ac tota familia in oppido Finlandiæ, cui Abo nomen, Holmiam duci, & publico judicio accusatum in custodiam dari, ac plerosque ipsius familiares supplicio affici juber. is quadriennium totum in carcere habitus, postea libertati restitutus. Ericum fratrem anno post, vices alternante fortuna, regno exutum carceri perpetuo mancipavit an. c I ↄ. I ↄ LXVIII.

145. IOANNES, Erico fratre exauthorato, rex Sueciæ magno procerum & omnium Ordinum consensu & applausu renunciatus est. Huic quoque bellum cum Dano fuit, atque Mosco; & quidem cum hoc valde grave & diuturnum. Concessit fatis anno cIↄ. IↃ XCII, VII kal. decemb., relicto filio Sigismundo, Poloniæ rege electo. Ioannes eandem quam Gustavus parens religione doctrinam, confessioni nimirum Augustanæ congruentem, secutus, licet filium Sigismundum, à Catharina matre instructum, Romanam religionem in arcano amplecti passus fuerit, tamen in recepta per totum regnum à parente suo religione nihil immutari voluit; & Carolum Finlandiæ Ducem fratrem suum, ei summo-

pere

pere addictum, tanquam vadem, apud populos suos constituit, nihil in eo negotio novatum iri, quum illum per filii absentiam pro regis titulo Sueciæ præesse testamento jussit.

146. SIGISMVNDVS, Ioannis fil., Poloniæ rex, etiam anno 1590 Sueciæ rex designatus, quum superiore autumno ad regnum hæreditarium capessendum in Sueciam appulisset; anno CIↃ IↃ XCIV regni Ordinibus ad insignia regni capienda diem epiphaniorum Vpsaliæ indixit. Erat in comitatu regis Franciscus Malaspina, Vrbini episcopus, pontificius orator; qui solennes ritus in regis coronatione usurpari solitos peragere satagebat; quod si obtinebat, majorum religionis in regno instaurandæ in spem erigebatur; id summopere rex cupiebat. Sed Senatus & regni Ordines repugnabant, instignante præcipue Adamo Andracano, qui in Synodo proxima mense martio celebrata Vpsalensis archiepiscopus designatus fuerat. Is contra majorum instituta & regni leges fieri dicebat, ut alius, quam Vpsalensis præsul, coronam regi imponeret; & ante omnia oportere ut rex sacramento adigeretur, quæ de confessione Augustana ante LXIV annos

Carolo V exhibita, sola in Suecia recipienda, postremis Gustavi suæ majestatis avi, & primis Ioannis III parentis temporibus, tum ab regni Ordinibus nuper in Vpsalienſi concilio decreta fuerant, se servaturum: nec templa ulla in urbibus alteri quàm Augustanę confessionis religioni destinaturum. de cætero, quum in Suecia esset, solenni sacrificio, quod in privato palatii sacello celebraretur, interesse contentus esset. Ad hoc, interceſſio Poloniæ procerum, qui cum rege venerant, adhibita, & protestatio à regni Ordinibus facta xv kal. feb., ac tandem quatriduo post, quum alirer non posset, Vpsaliæ rex, Adamo Andracano officio defungente, regia insignia cepit, &, Erico Sparre, regni cancellario, jurisjurandi formulam per solemnem stipulationem recitante, religiose promisit, justitiam ac veritatem se servaturum; injustitiam ac mendacium jure potentiaque regia compressurum; jus æquum inter Suecos, tam divites quam egenos, secundum regni leges dicturum; regnum cum Principe Carolo & regni Suecici Senatu administraturum; consilia cum indigenis, nō cum externis, capturū; neminem extraneum in Sueciam asciturum; neque

regni

regni arces, provincias aut Vpſalæ deſerta, ulli niſi indigenæ commiſſurum; nulla nova vectigalia regno impoſiturum, niſi neceſſitate exigente, ut quum exercitus extranei provincias regni vaſtabunt, aut ſeditio inteſtina urgebit, aut regis filius vel filia matrimonium contrahet, aut ad iter S. Erici ſive ſolennem regni luſtrationem, aut ſarciendas arces, aut in deſertis Vpſalæ ædificandis quicquam neceſſarium requiretur; præterea omnia privilegia, libertates, immunitates proceribus, epiſcopis & populo Succico conceſſas confirmaturum, pacem ac tranquillitatem publicam procuraturum. addita clauſula ſacramento, *Ita Deus animæ meæ & corpori ſit propitius, ut hæc omnia ex animo juro.* Comitia deinde habita, in quibus de regni per regis abſentiam adminiſtratione leges ex Ordinum ſententia conſtitutæ; & rex menſe quintili in Poloniam remeavit. Verum poſtea ab omnibus regni Ordinibus regno fuit abdicatus, in Comitiis Stocholmienſibus, anno 1599 celebratis. Et rurſus anno 1600 cum ſobole & poſteris ſuis à regimine omni in Suecia excluſus, in Comitiis Lincopienſibus. quæ ita ſe habent:

Nos infraſcripti regni Sueciæ Ordi-

nes, atque Senatores, Comites, Barones, Episcopi, Nobiles, Ecclesiastici, copiarum militarium duces, cives, & plebecula, in his Lincopensibus comitiis congregati, omnibus quorum interest notum facimus, quod, si quidem superiori æstate, mense julio, in comitiis à nobis regni Ordinibus Stocholmiæ celebratis, inter cætera unanimiter fuerit concluſum, ut, cum rex Sigismundus in præjudicium aviti testamenti & admonitionis, à vera euangelii doctrina exorbitaverit, perversæ Pontificis religioni adhærens, & deinceps contra omnem naturalem affectum, per Pontificis subdolas machinationes, aliorumque hominum inquietorum consilia, eousque se deduci passus, ut S. M. peregrino exercitu stipata, in natale solum sese contulerit, qua patruum suum sereniſſimum D. Carolum, qua etiam nos omnes & universam patriam vehemẽtiſſime persequutura, & quibusvis cladibus affectura; Vnde plurimi quoque Sueonum atque peregrinorum ad extrema vitæ discrimina sunt protracti: Quo tempore sane, si illa machinatio pro votis S. M. cecidiſſet, dubio procul id acciditſet, ut non solum erronea Pontificis doctrina universo huic regno obtruſa,

truſa, contra R. M. juramentum & aſſecurationem, (velut cuique exploratum, id propoſiti regio animo viguiſſe,) verum etiam vitæ & bonorum jacturā illi omnes ſuſtinuiſſent, qui hac ex parte ſeſe pro domo Dei oppoſuiſſent, firmiter regio juramento & aſſecurationi, ac iis laudabilibus ſtatutis, tranſactionibuſque, quæ ab univerſis regni Ordinibus diverſo tempore laudabiliter fuerant celebrata, adhærere cupientes.

Quamobrem, ſicut etiam propter alias plurimas, eaſque maximas rationes, quæ ex typo propediem divulgabuntur, ſummopere coacti ſumus, huiuſmodi S. M. regimini prorſus renuntiare, omnem fidelitatem, & obedientiam, quibus omnes ſecundum unionem hæreditariam, & jura Suetica, obſtricti R. M. fuimus, abdicando, prout præfatis Stocholmiæ comitiis celebratis unanimiter concluſum & pronunciatum.

Attamen inſuper approbatum, potius ob eam animi propenſionem, qua in R. M. ferebamur, & adhuc erga illam progeniem regalé ferimur, quam jure aliquo, ad R. M. filium ſpectante, ut, ſi R. M. citra ſpatium ſemeſtre, poſt commemorata ſupputandum comi-

tia, ſeſe vellet reſolvere, utrum filium ſuum in hoc regnum expedire cuperet, ſereniſſimo Duci Carolo, velut proximo & propinquiori tutori, aliiſque probis & fidelibus regni Sueciæ viris commendandum, atque in ſyncera euangelii doctrina inſtituendum; Hac conditione præfatum Principem R.M. filium, intra ſex menſes illud ſemeſtre comitantes, in Sueciam deſtinatum, præ omnibus aliis pro legitimo noſtro Domino, & Rege, illum cognoſceremus, & acceptaremus, ubi ad eam perveniret ætatẽ, in qua nobis & univerſo regno præſidere, ac eo pacto aſſecurare poſſet, quo ſecundum jura & regni huius veteres prærogativas conſuetudineſque aſſecurare par eſt: Verum ſi R.M. intra præfixum temporis ſpacium ſuper his conditionibus ſeſe non reſolveret, neque filium ſuum citra ſpacium illud ſemeſtre immediate ſubſequens prædicto modo in hoc regno educandum tranſmitteret; omni diademate & regimine Suetico etiam filius exutus foret: ita ut neque ille aut ejus poſteritas, unquam ad regale Sueciæ ſolium habitura foret acceſſum: ſed & pater, & filius ex illo deturbarentur, ſicut ipſum decretum Stocholmenſe porro atteſtatur. Proinde

inde ad R.M. protinus perſcriptũ, qua ratione ſuper hoc negotio eſſet ſtatutum, humili adjuncta petitione, ut R. M. ſuper deſiderio Ordinum regni Sueciæ ſeſe quamprimum reſolveret.

Itaq; cum rex Poloniç necdum quicquam hoc ſuper negotio reſponderit; non ſolum ſex menſibus interim evolutis, quibus R. M. animum ſuum declaratura; ſed etiam illud tempus nunc labatur, citra quod R.M. filius in regnũ fuerat tranſmittendus; ut quinq; duntaxat ex præſcripto tempore reſtent menſes, nullo prorſus de illius adventu increbreſcẽte rumore; Ea præter etiam alia negotia interim inciderint, quæ pro emolumento regni perpendenda, atque decidenda; Ideo nos regni Sueciæ Ordines, illuſtriſſimi Principis litteris convocati, & hac neceſſitate ſtimulati, huc confluximus, eiuſmodi negotia pro neceſſitate & dignitate æſtimaturi, & concluſuri. Atque jam de omnibus articulis ita convenimus, & ſtatuimus, quemadmodum ſequitur.

Inprimis, etiamſi S.C., quantum ad illum de regni gubernatione articulum, id conſilii communicaverit, multiſque oſtenderit rationibus, ſe regiam

giam dignitatem, nomen, vel titulum minime affectare, aut desiderare; in quo tamen ut consentiret S.C., obnixe pustulavimus: Tamen quandoquidem, ut præmemoratum est, quinque adhuc menses residui sint, citra quos postulavimus ut R. M. Poloniæ suum expediret ad nos filium; ideo etiam præfato temporis spacio S.C. censuit nobis præstolandum: Atque si tum temporis ita usu veniret, ut R. M. suum filium citra præfatum temporis spacium in hoc regnum transmitteret, iis conditionibus, quibus eum postulavimus, pro nostro & regni totius rege illum acceptaremus, & retineremus, nec ullũ alium, ubi ad annos regimini idoneos perveniret: Absolute tamen regni non admittẽdus regimini, priusquam in legitimis annis foret constitutus, nimirum vigesimo quarto ętatis anno: Interea temporis, sive R.M. filius in regnum adveniret, sive non, illustriss. Dux Carolus, sub ætate minorenni hoc Principe constituto, gubernaculo regni assideret. Verum si forte fortuna accideret, ut S.C. vitæ usura privaretur, priusquam memoratus Dominus minorennis, aliique de eadem familia Principes, ad legitimam pervenirent ætatem, unanimis atque con-

concors nobis ineunda conſpiratio ſuper uno, aut duobus, vel ad ſummum tribus, quos gubernationi in patriæ emolumentum fideliter præfuturos cognoſceremus, deſignandis, quibus fidelem omnem obedientiam exhibituri eſſemus, illiſque, qui hac ratione reipub. gubernatores & minorennium Principum tutores conſtituti fuerint, obligati eſſent, ut quam diligentiſſime curarent, præfatos Dominos in vera euangelii religione, & omnibus Chriſtianis atque regiis virtutibus moribuſque educari, regno Sueciæ & illius emolumentis ita in omnibus rebus invigilantes, prout coram Deo, & progreſſu temporis apud illuſtriſſimos Principes, regnique Ordines, ſicut etiam Chriſtianitatem, ſecure vellent poſſentque reſpondere.

Cum vero regis Sigiſmundi filius regio Sueciæ throno potiretur, regni Ordinibus, prout par eſſet, omnimode aſſecuratis, ſuo patruo illuſtriſſimo Duci Ioanni, de honeſta atque Ducali ſuſtentatione proviſurus eſſet, præcipue illo Ducatu, quem (inclytæ memoriæ) Dux Magnus in Oſtrogothia quondam poſſedit, eum contentando; illis tamen bonis exceptis, quæ ſereniſſimi Ducis Caroli Ducatui in Oſtrogothia

gothia adjecta & litteris confirmata sunt, quorum loco sereniſſimo Duci Iohanni alia bona assignanda forent, reditibus non inferiora illis, quæ Dux Carolus obtinet, eumque Ducatum cum eiusmodi privilegiis Dux Iohannes possideret, sicut regis Gustavi (celeberrimæ recordationis) testamentum & litteræ donationis Duci Magno super hoc datę testãtur & exigunt: Deinceps Dux Iohannes pro sua parte nihil amplius ex regno expetendum haberet, iis bonis hæreditariis duntaxat exceptis, quæ ad S.C. paternæ & maternæ hæreditatis nomine jure devolvi poterunt: Alter autem minorennis Dominus illustriſſimus Princeps Dux Gustavus Adolphus, parentis sui sereniſſimi, Ducis Caroli, sine impedimento integrum aditurus & occupaturus esset Ducatum, iis quidem Ducalibus privilegiis sub quibus illum dominus parens possediſſet.

Atque si rex Sigismundus citra tempus præscriptum, filium suum in Sueciam non expediret, pari se cum ratione diademate regni Sueciæ & jurisdictione illum spolians, nemo præter illustriſſimum Ducem Carolum, quoad lucis huius usura frueretur, regni gubernaculum moderandum susciperet;

ret; Sin vero contingeret, S.C. è vivis discedere, priusquam aliquis nostrorum minorennium Dominorum ad legitimam ætatem transcenderet, eum pro regni gubernatore accepturi essemus, quem S.C. in ultimo suæ voluntatis testimonio ad hoc munus promoveret; velut uno abhinc anno lenocopię unanimiter consensum & approbatum est. Aut etiam si eiusmodi successoris substitutio ob repentinam S.C. ex hac vita migrationem, vel etiam pro singulari sua prudentia sereniss. Dux Carolus superstes de hoc nihil constitueret, denuo de duobus fidelibus reipublicæ viris unanimiter & concorditer eligendis conspiraremus, qui fideli clavum regni moderarent dextera. Cum vero illustrissimi Domini minorennes legitimam attingerent ætatem, ut ipsimet manum regni clavo admovere possent, cum unanimi consilio & consensu ex præfatis Dominis in regem Sueciæ eum designaremus, quem regni utilissimum gubernationi deprehenderemus, sive contingeret secundum lineam hæreditariam regis Iohannis filio illustris. Duci Iohanni hæc regalis dignitas, sive etiam ex Ducali familia sereniss. Principi Duci Gustavo Adolpho, aut aliis pro tem-

tempore ſuperſtitibus, cum pluribus conditionibus requiſitis, quas S.C. partim de regimine, partim etiam de aſſecuratione ab iis deponenda, qui ad gubernationis munus promovendi, condidiſſet, & præfixiſſet.

Veruntamen S.C. multa perſuaſione, humili petitione, & admonitione, ad aliam deduximus opinionem, de qua, ſicut etiam de aliis ſubſequentibus articulis, hac ratione conſpiravimus. Inprimis, cum rex Sigiſmundus, velut antea inculcatum eſt, partim hac de cauſa eam juriſdictionem amiſerit, quam S. M. ad regni Sueciæ habuit coronam, quod ab avito exorbitaverit teſtamento, & vera euangelii religione contempta, Pontificiæ religionis accerrimum ſeſe præbuerit ſectatorem, quam omnibus in hoc regno etiam obtrudere meditabatur; partim etiam quod binis vicib⁹ ex hoc regno, nobis inſciis, diſceſſerit; poſtmodum contra omnem naturalem & Chriſtianum affectum, juraque Suetica, peregrino in natale ſolum milite copioſiſſime juxta ac infenſiſſime advecto, & alias multis modis in præjudicium ſui jurisjurandi, litterariæque aſſecurationis, quæ nobis omnibus præſtitit, actitaverit; Atque nunc ad extre-

extremum non tanti nos fecerit, ut vel hactenus unica syllaba humillimæ nostræ petitioni atque litteris ad S.M. expeditis respondere dignaretur, in quibus significamus, nos S. M. filio regni Sueciæ axioma deferre, si intra præscriptum tempus in regnum expediretur, modoque & ratione prædictis educaretur: Quocirca eidem S M. filio, aliisque eius hæredibus & successoribus, prorsus renunciamus, omni jurisdictione, quæ alias secundum unionem hæreditariam ad eos jure spectaret, illos exuendo, ita ut neque R.M. aut ullus de ea progenie, posthac quicquam juris ad diadema regni Sueciæ sit habiturus, prorsus omni obligatione, qua S.M. & eius hæredibus tenebamur obstricti, nos subducendo; Sicut etiam omni fidelitati, securitati, & virili assistentiæ R. M. antea præstandis renunciando.

Quanquam vero illustrissimo Duci Ioanni, secundum unionem hæreditariam, jam regia foret dignitas committenda: Sed quandoquidem perpendamus, atq; metuamus, ne S. C. in regio Sueonum culmine constituta, & amore permota naturali, cum fratre suo, aut eius hæredibus, ea pacta ineat, & consentiat, quæ in nostram & patriæ

triæ totius vergét perniciem extremã; in hoc unanimiter conſpirantes, ut vindictam de illuſtriſſ. Duce Carolo aut illius ſucceſſoribus earum rerum poſcant, quæ hoc turbulento tempore, juſtiſſimis quamvis de cauſis, adverſus regem Sigiſmundum, & eius familiam, conſanguineoſque actitatæ in hoc regno; fiatque hoc pacto malum poſterius priore pejus, ut vix unquam pacem huic regno reſtituendam ſpes aliqua ſit emicatura; Præterea regni & huius tépo.is moderna conditio jure ſuo poſtulat, ut certum proſpiciamus hac tempeſtate regni gubernatorem, niſi plurima magni momenti negotia neglectum iri velimus, non abſque incomparabili totius regni detrimento, ex quibus noſtra ſalus dependet, neque proinde à puero expediri queunt; Itaque unanimi conſilio & conſenſu ſtatuimus, ut illuſtriiſſ. Principi Iohanni de honeſta & Ducali ex regni provinciis ſuſtentatione provideatur, unanimiter illum deferendo, & aſſignando S. C. Ducatum, quem S.C. patruus (Chriſtianæ recordationis) Dux Magnus in Oſtrogothia poſſedit; Illis tamen bonis exceptis, quæ ſeneriſſ. Duci Carolo, ex præfato Ducatu, perpetuo ſunt vigore litterarum

ſuper

ſuper hac re datarum conceſſa, quorum loco illuſtriſſimus Dux Iohannes alia eiuſdem valoris reportabit prędia, velut Braborg, & Leckô, cum horum bonis feudalibus, aliisque quæ præfatos reditus adæquare poterunt: Hunc autem Ducatum Dux Iohannes iis poſſeſſurus conditionibus, quas regis Guſtavi teſtamentum, & litteræ donationis, Duci Magno ſuper hoc traditæ, commemorant; atque ita præfatus Princeps, his contentus, nihil amplius pro ſua parte ex regno petiturus, iis bonis hæreditariis exceptis, quæ ad illum ratione hæreditatis paternæ & maternæ ſpectare poterunt: Neque integrum S.C. futurum, quicquam de ſuo Ducatu, vel bonis hæreditariis, ad poſſeſſionem perpetuam alicui donare, niſi id fiat tali conditione, ut regnum aliquam juriſdictionem circa illud progreſſu temporis exſpectet. Atque etiam idem Dux illuſtriſſimus obligatus erit, nemine in ſuis ſervitiis uti, qui diſcordiam inter regalem & Ducalem familiam ſeminare intēdit; Sed ſemper quam diligentiſſime & fideliſſime ad ea incumbet, quæ concordiæ & optimæ fiduciæ inter conſanguineos reconciliandis & ſtabiliendis quā maxime ſerviunt, ac in commune pa-

triæ emolumentum & subsidium suo pondere vergunt.

Quandoquidem etiam sereniſſimus Dux Carolus, unicus secundum Deum fuerit, qui divino auxilio fretus, præsentiſſimo vitæ discimine, moleſtiis atque sumptibus, nos & patriam noſtram, ex tenebris Pontificiis, & servitute peregrina, vindicare pro virili elaboraverit, quæ cervicibus noſtris injectare noſtri voluerunt adversarii; Et alias pro nobis, & noſtra salute, commodoque, tam in spiritualibus quam corporalibus negotiis, sanguinem, & vitam suam, omnemque poſſeſſionem in discrimen adducere non dubitaverit, non solum hoc tempore sed aliquot vicibus antea; clementer promittens insuper, atque spondens, quod S. C. inprimis & ante omnia nobis omnibus & singulis, Eccleſiaſticis & Politicis, summis & infimis, cuique pro suo ſtatu & conditione, in Chriſtiana & syncera euangelii religione (cui nos omnes in hoc regno firmiter alligavimus) vivere sit permiſſura; nulla re prorsus in ea fide variata, sed, velut in concilio Vbsaliæ celebrato anno 1593 unanimiter approbata fuit, semper perſiſteret; Sicut etiam jura Suetica, & uniuscuiusque à majoribus acquiſita pri-

privilegia atque libertates nullo pacto transgressura; ut S. C. horum nomine regni huius gubernationem præ reliquis promeruisse & jure acquisivisse videatur: Proinde his, atque aliis maximis de causis commoti fuimus, ut modo, velut etiam aliquot vicibus antea, unanimiter & concorditer postularemus, quo S. C. dexteram regimini admovere, & verticem diademati submittere dignaretur.

Quod tamen S. C. etiam atque etiam renuit, & detrectavit, variis rationibus à S.C. in contrarium allatis, etiamsi diligenter & assiduo S. C. super hoc sollicitaverimus, atque rogaverimus: Nihilominus tamen S. C. ad extremum tandem se clementer secusque permoveri passa, nempe quod proximum quinque mensium spatium, invitationi Principis VVladislai assignatum expectare vellet; promittens, se postmodum nostræ humili petitioni locum clementer assignaturam; Interim tamen S.C. cum suis affinibus, atque amicis in exteris constitutis, super hoc consultatura, & cognitura, quid nimirum S. C. super hoc negotio suadeant, atque consulant quam utilissimum esse. Nos vicissim ut S. C. toti mundo excusata reddatur, quod ne-

que minis aut pollicitationibus ad gubernaculum ſeſe intruſerit, ſed à nobis unanimiter ad regimen capeſſendum frequenter moleſtata, (quandoquidem noſtra, & totius regni fælicitas, ejuſmodi gubernatorem magnopere poſtulaverit;) Ideo apud omnes Chriſtianitatis monarchas, S. C. ab ejuſmodi ſuſpicione, atque ambitione, omnino liberatam cupimus & rogamus, ſicut etiam coram Deo & quovis honeſto viro proteſtamur, S.C. in his ſatis eſſe excuſatam.

Quamobrem hiſce, in nomine atque invocatione ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, unanimiter, & concorditer, ac ex voluntate ſpontanea approbamus, & confirmamus, neminem ſcilicet alium quam illuſtriſ. Principem Ducem Carolum, regem noſtrum futurum. Cui etiam hiſce literis unanimiter & concorditer omnem obedientiam, fidelia obſequia, ſecuritatem, & virilem aſſiſtentiam, velut naturali & dilecto regi noſtro, promittimus nos exhibituros; Vt etiam, fideliter ea omnia exequuturos, quæ S. C. in ſuum atque totius patriæ commodum injunxerit ac mandaverit: Nec minus pro S.C. & illius incolumitate, vitæ & ſanguini, poſſeſſionibusque noſtris

noſtris minime parſuros. Quanquam veroS. C. regni diadema renuat acceptare; Tamen ſive fuerint adhibiti coronationis ritus & ceremoniæ, ſive non, nihilominus agnoſcemus & obſervabimus S. C. pro legitimo noſtro Domino & Rege, illi omnem regiam juriſdictionem, & nulli alteri, exhibentes atque præſtantes.

Præterea conſenſimus, & confirmavimus, ut ſecundum S. C. ex hac vita migrationem (quam Deus omnipotens ad multos annos procraſtinare dignetur) filius S.C. illuſtriſſ. Princeps Guſtavus Adolphus, ad coronam regni Sueciæ acceptandam proximus ſit, & poſt eum legitimi illius hæredes maſculi, ab hærede ad hæredem, quouſque vel unicus ſuperſtes fuerit. Verum ſi S. C., quod Deus avertat, ſine hæredibus maſculis ex hac vita migraret, aut etiam ejus ſucceſſores, ut nemo ex ea linea amplius legitimus hæres maſculus ſupereſſet; tum promittimus, atque ſpondemus pro nobis, & noſtris ſucceſſoribus, nos neminem deinceps ad regni Sueciæ ſolium ſublimaturos, præter illuſtriſſ. Ducem Iohannem, ſi in vivis fuerit, aut etiam eius legitimos hæredes maſculos, ſi aliqui ſuperfuerint; & quamdiu illa linea perſtiterit,

gubernaculo regni Sueciæ præter ejus hęredes nemo assidebit. Proinde si illustrissimus Princeps Iohannes, aut illius successores, ad regium promoverentur fastigium, una cum illo promittere & spondere tenebuntur, se & suos successores cum rege Sigismundo, vel eius hæredibus, nullum unquam pactum aut unionem inituros; Præsertim hoc modo, ut ad aliquam partem aut gubernationem in hoc regno transcendant; sicut neque eos pro suis consiliariis & servitoribus electuros, qui aliud suasuri videntur, quam quod ad internam concordiam spectet, & pacem regni augeat, confirmetque; Atque ante omnia cavebit illustriss. Dux Iohannes, cum suis successoribus, ne ulla ratione sese ad erroneam Pontificis doctrinam permoveri patiatur; nisi ille cum universa sua progenie, huius nomine eam jurisdictionem amittere velit, quam ad regnum Sueciæ habet, prout S.C. accidit fratri: Quandoquidem hisce pronunciatum & conclusum velimus, quod nemini inposterum ad regni thronum aditus concedetur, qui nobiscum in vera euangelii religione (cui nos omnes adstrinximus) non fuerit consentiens.

Quod si vero noster sereniſſimus Prin-

Princeps & rex electus, Dux Carolus, prius vitam cum morte commutaret, quam S. C. filius Dux Gustavus Adolphus ad eam ætatem, qua regimini manus ipsemet admovere possit, devenerit, (gubernatione autem absoluta non est potiturus, priusquam annum vigesimum quartum attigerit,) tum temporis ita conclusum & consensum volumus, ut eum pro regni & minorennis Domini moderatore tutoreque agnoscamus, quem S. C. in ultimo suæ voluntatis testimonio ad hoc designaverit ex fidelibus regni Sueciæ, & non peregrinis viris, cui obedientiam, in emolumentum minorennis Domini, & totius regni fælicitatem, exhibituri sumus. Hæc omnia promittimus, & spondemus per honestatem nostram, fidem Christianam, veritatem, & perpetuam animæ nostræ salutem, nos sine malo dolo fideliter & inculpabiliter servaturos, & absque bonis aut malis mediis, aut quacumque fraude ab hominibus excogitata: ita nos Deus quoad animæ & corporis salutem adjuvet.

147. CAROLVS, Gustavi fil., Sudermanniæ, Nericiæ & VVermelandiæ Dux, Sigismundo Poloniæ rege ita ab Ordinibus Sueciæ abdicato, regni gu-

bernationem ſine regio titulo ſuſcepit, atque ita continuavit ad annum CIↃ IↃC VII: quo magno omnium Ordinum conſenſu in regem Sueciæ coronatus eſt. unione hæreditaria (ut vocant) jam ante, anno 1604, Norcopiis ad huńc modum renovata:

Quandoquidem potentiſſimus & ſereniſſimus Dominus Carolus, regni Sueciæ deſignatus rex, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, de noſtris hæreditariis Principib⁹ ſit primarius, quē antea pro legitimo & à Deo nobis pręviſo Domino agnovimus, acceptavimuſque; Cum unicus ſecūdum Deum fuerit, qui nos hoc periculoſo tempore, paterna ſua diligentia ac labore ex manibus inimicorum noſtrorum ereptos, in agnitione & doctrina veræ religionis ſervavit; Sicut etiam ſecundum jura Suetica & cuncta legitime acquiſita privilegia gubernavit; ut, licet adverſarii noſtri omni aſtutia, violentia, & poteſtate, noſtro atque patriæ inhiaverint detrimento; attamen (Deo laus in æternum) nihil prorſus efficere potuerint, regni Sueciæ limitibus necdum quicquam imminutis; Cuius nomine, poſt Deum, S.C. ſummopere gratulandum eſt, quæ pro noſtra incolumitate vitam ſuam in diſcri-

discrimen adducere minime dubitavit, tantaque nobis beneficia exhibuit, quanta vix ullo unquam tempore Sueonibus sunt declarata.

Quocirca, ut divinæ bonitati inprimis, & ante omnia pro ejusmodi beneficiis, laus atque honor persolvatur, & illustrissimus ac clementissimus Dominus noster atque rex hæreditarius designatus gratitudinem vicissim nostram experiatur, unanimiter & peculiariter modo, velut alias frequenter, designavimus acceptavimusque S. C. pro absoluto & legitimo nostro rege; cui etiam (ita nos Deus quoad animæ & corporis salutem adjuvet) omnem fidelitatem & securitatem, virilemque assistentiam, prout ex debito veri subditi, & præcepto Divino, cunctisque mundanis constitutionibus, atque celeberrimis antiquissimi regni huius consuetudinibus tenemur, exhibituri sumus, & sine intermissione facturi, observaturi ac culturi, omne id, quod velut fideles subditi erga legitimum nostrum regem declarare obligamur, præstando; & pro S. C. & patria nostra, vitæ, bonis, & omnibus possessionibus nequaquam parcendo, ingruente necessitate; &, S. C. postulante, fideliter cum S. C. in discrimen adducen-

do; In ſumma, vivere & mori cum clementiſſimo Domino noſtro parati ſumus futuri. Atque cum S. C. (æterno Deus laus) maſculis hæredibus, nobis & regno univerſo in conſolationem auxiliumque, decorata ſit, heroumque vitæ tempus, perinde ac omnium hominum vitale ſtamen, in manu divina repoſitum; ideo, ſi ex hoc ærumnoſo mundo ad æternam fælicitatem S. C. à nobis evocaretur, (quod præpotens Deus in multos annos prolongare dignetur,) promittimus, obligamus, juramus, & approbamus hiſce quam firmiſſime, perfecte, & irrevocabiliter, unanimiter & peculiariter, veluti prædictum eſt, S. C. majorem natu filium, illuſtriſſ. Principem Guſtavum Adolphum, immediate ſecundum ſereniſſimi parentis ſui fælicem ex hoc mundo migrationem regimine & regali authoritate potiturum, regemque noſtrum futurum; ſicut etiam pro nobis & noſtris ſucceſſoribus aſſerimus & confirmamus; illum pro noſtro Domino & rege acceptando, pariq; modo fidelitatem in omnibus exhibendo: ita ut vitam una cum illo in diſcrimen adducere parati ſimus futuri, quo illi auxilio, conſilio, & conſolationi in omnibus

bus existamus, id facientes & intermittentes, quod fidelibus subditis ratione honestatis & promissi omnino incumbit. Iunior vero S. C. filius, illustriss. Princeps Dux Carolus Philippus, paterno Ducatu Sudermanniæ, Nericiæ, & VVermelandiæ, Vasbogia, & territorio Vallensi, una cum aliis pluribus potietur, secundum testamenti vigorem, adjunctis spiritualibus & sæcularibus jurisdictionibus, prorsus velut illustriss. parens, clementiss. Dominus noster Dux Carolus, priusquam Sueciæ gubernaculo admoveretur, eum Principatum pòssederat: Verum sereniss. Dux Iohannes illum Ducatum, qui Duci Magno permissus erat, consequetur; quem in hisce comitiis bonis feudalibus & pluribus jurisdictionibus auximus, prout literæ donationis, præfato Duci Iohanni super his datæ, testantur. Quod si autem rex noster designatus Dux Gustavus Adolphus, ex singulari Dei providentia aliquos regales aut ducales hæredes masculos legitimos nanciscereturet post se relinqueret; tum major natu filiorum regni gubernaculo admovendus; & deinceps, illo sublato, de linea ad lineam, uno secundum alterum, ad regale solium penetrabit; illique S. C. filii,

filii, pro tempore illo nati, vel poſtmodum naſcituri, à nobis & noſtris ſucceſſoribus pro legitimis & hæreditariis regni Suecię regibus deſignabuntur, & permanebunt. Sin autem Dux Guſtavus Adolphus, noſter proxime futurus & electus rex, divina providentia ita diſponente, ſine maſculis hæredibus vitam cum morte commutaret, ſequens clementiſſ. Domini noſtri & regis filius, illuſtriſſ. Dux Carolus Philippus, qui ſecundum lineam ſecundo genitus eſt, eodem prorſus modo, ſicut de Duce Guſtavo dictum eſt, regni clavum ac diadema, velut deſignatus, electus, & confirmatus Sueciæ rex, acceptabit; quem proinde commemorato modo, pro noſtro Domino, & rege, hiſce omnino firmiter & irrevocabiliter acceptare, agnoſcere, promittere, jurareque volumus fidelitatem, obedientiam, atque virilem aſſiſtentiam, ſine omni tergiverſatione & ſubterfugio illi à nobis exhibenda; Similiter quod ei conſilio, ſubſidio, ac conſolationi ſimus futuri, pro illius incolumitate poſſeſſiones & vitam noſtram nulli diſcrimini ſubducendo, & cum illo, velut fideles & conſtantes ſubditi, omnem fortunæ aleam experiendo. Deinde, ſi fatis illuſtriſſimi Ducis

cis Caroli Philippi aliqui hæredes masculi legitimi supereſſent, major natu filiorum regni habenas moderabitur; ac deinceps, modo & ordine prædictis, de linea ad lineam, unus poſt alterum, perinde ac in articulis inaugurationis regis noſtri deſignati Ducis Guſtavi de verbo ad verbum eſt expreſſum, ſervabitur, & exequutioni mandabitur, ſceptrũq; apud eum aut illius natos vel naſcituros permanſurum hæredes, qui à nobis & noſtris ſucceſſoribus pro legitimis regni Sueciæ hæredibus deſignandi & confirmandi. Eodem etiam modo & tenore procedendum, ac obſervandum, ſicut de Duce Guſtavo Adolpho, & Duce Carolo Philippo, commemoratum eſt, ſi præpotẽs Deus clementiſſimo regi noſtro deſignato, Duci Carolo, adhuc hæredes aliquos maſculos, unum aut plures, largiri dignaretur, ita ut jure generationis immediate poſt Ducem Carolum Philippum regali faſtigio & gubernaculo de linea ad lineam unus ſecundum alterum potiantur.

Denique, ſi illuſtriſſimus Dux Carolus Philippus, ſecundo electus rex noſter, ſine legitimis hæredibus maſculis vitæ munere defungeretur, nullo præterea ex ſereniſſimi regis noſtri

si iis hærede masculo legitimo superstite, regales fasces postmodum ad serenissimum Principem Ducem Iohannem devolventur, eodem prorsus modo, & verbotim, sicut de illustrissimis Principibus, Duce Gustavo Adolpho, & Duce Carolo Philippo, fratribus, expressum est; quem nos proxime secundum alios pro rege & Domino nostro hisce firmiter & irrevocabiliter acceptare, designare, & jurare volumus fidelitatem, obedientiam, & virilem assistentiam, constanter, atque inculpabiliter, sine omni tergiversatione & subterfugio servanda, illi auxilio, subsidio, & consolationi existentes; vitam & omnes possessiones nostras pro illius incolumitate asserenda nulli discrimini subducendo; cumque illo nullum fortunæ vultum, velut fideles erga Regem & Dominum suum decet subditos, formidando.

Deinde, præfato Duce Iohanne de vitæ theatro sublato, major natu illius filius legitimus regni adipiscetur insignia; & hoc pacto, prout de vita migraverint, de linea ad lineam, sicut de Principe Gustavo Adolpho, & Carolo Philippo, ac eorum hæredibus, in articulis inauguratoriis verbotim commemoratum est, observandum, & proceden-

cedendum: Vnde, qui proximus ſecundum lineam tum temporis fuerit, eum acceptabimus, & confitebimur pro noſtro & regni deſignato ac electo rege; illi fidelitatē, obedientiam, & virilem aſſiſtentiam irrevocabiliter jurando, & ſervando, cum eo nullum vitæ diſcrimen adire, & pro illo poſſeſſiones noſtras effundere non dubitantes; inſuper ea omnia aggrediendo & tractando pro illius incolumitate, quæ fidelibus & obedientib⁹ cõveniunt ſubditis. Quandoquidē vero luculētum hiſtoriæ perhibeant teſtimonium de tumultibus, diſſēnſionib⁹, atq; detrimentis multifariis, quæ magno agmine in reſpubl. ſeſe ingerunt, quando familiæ legitimæ non obſervatur linea, regno & regimine in periculoſa gubernatorum electione periclitantibus, cum unus huic candidato, alter illi ſuffragatur indigena; Sicut etiam è contra ex hiſtoriis colligere liceat, multam in republica concordiam & tranquillitatem ſemper viguiſſe, quando ſecundum Dei providentiam à recta & legitima regiæ familiæ non exorbitant regni Ordines linea. Quocirca ſi hoc infortunii, regno Sueciæ obveniret, (quod Deus clementer avertat,) ut tota Guſtaviana progenies maſcula

pror-

prorsus de medio vitę tolleretur, hæredibus fœminis superstitibus ex eadem Regali & Ducali familia; porro adhuc ex prompta voluntate & maturo consilio promissum volumus, sicut etiam hisce promittimus, & juramus unanimiter & concorditer, universaliter & singulariter, pro nobis omnibus & singulis, cunctisque nostris successoribus, nos accepturos eam Principem & regis filiam, si fuerit illa superstes, aut etiam Ducis natam, pro regina Suecię; nullum S. C. virum præter eius voluntatem & consensum obtrudendo; & præsertim neminem unquam ex illo populo S. C. permittendo & procurando sponsum, qui nationem Sueticam persequutus est, & illius detrimento ac ruinæ aliquomodo invigilavit; sicut neque aliquem perversæ religionis & alienam à nostra fide Christiana doctrinam sectantem. Hisce tamẽ prohibitũ volumus etiam reginæ, ne cũ persona huiusmodi nationis & religionis matrimonium ullo modo contrahat, ni jure suo & jurisdictione spoliari velit; Sed potius & prius alicui nationis Sueticæ viro, regno utili, & S.C. amabili, aut certe cuipiam nubat ex iis Ducum familiis in Germania Principi, quæ ex regno Sueciæ de celebri

bri regis Gustavi progenie profluxerunt, illo in religione consentiente nobiscum, nisi illud matrionium sanguinis propinquitas impediat.

Verum cæteris Regalibus & Ducalibus filiabus, eo tempore superstitibus ex hac familia, de honesta & conveniente dote circumspiciemus, & exhibebimus, una cum aliis rebus necessariis, pro status & conditionis dignitate, secundum regis Gustavi testamentum, & in his comitiis fabricatam ordinationem: Attamen illis conditionibus & cautionibus, ne commemorata Regalis aut Ducalis filia ullum contrahat matrimonium, nisi id fiat cum regni Ordinum consensu, & libera voluntate; Verum sub his nulla ratione regis Sigismundi filiabus (si quas nanciscetur) aut eius sorore intellectis; quibus, velut dictum est, prorsus renunciatum volumus, nulla iis unquam jurisdictione in hoc regno permissa. Cæterum, quandoquidem omnis ille tumultus, discordia, atque bellum, quæ nobis magnum facessunt hoc tempore negotium, inde potissimum originem traxerint, quod rex Poloniæ à regni huius ordinibus alienus in religione fuerit, atque in præjudicium aviti testamenti nostram

deſeruerit religionem Chriſtianam, erroneam Pontificis doctrinam acceptando; Ideo conſpiravimus nos, univimus, & ſtatuimus, quod inpoſterum ad huius regni gubernaculum neminem ſublimaturi ſimus, qui unius nobiſcum non fuerit religionis: Atque proinde quicunque Principum hæreditariorum à puro Dei verbo, in propheticis & apoſtolicis libris comprehenſo, ſicut etiam à vera & genuina confeſſione Auguſtana, Carolo quinto Imperatori anno 1530 in Comitiis Vindelicis porrecta, & in Dei verbo fundata, deſciverit; nec minus etiam ab aliis præteritis transactionibus, & laudabilibus conſtitutionibus, partim regis Guſtavi tempore, partim etiam deinceps factis, & ſpectantibus inprimis & ante omnia ad eccleſiæ Chriſtianæ veræque religionis ædificationem, ac optimæ politiæ tam in ſpiritualibus quam in ſæcularibus conſervationem; quique id omne non facit, & promovet, quod ad Dei honorem, & ſynceræ incrementum religionis, ut dictum eſt, ſpectare cognoverit, velut etiam patriæ emolumento & proſperitati in omnibus invigilaverit: Ille prorſus ſua juriſdictione hæreditaria ſpoliandus eſt, qua

alias

alias secundum hanc unionem hæreditariam fruiturus esset.

Simili modo nostri Principes hæreditarii, sub privatione jurisdictionis hæreditariæ, nullam ducent uxorem, quæ erroneæ fuerit religionis, & alterius quam illius antea commemoratæ, ne hinc quæpiam in religione discordia oboriatur inter subditos & regni Dominos, velut cum rege Sigismundo factum est. Vt neque ulli matrimonio sese permiscebunt, regni Ordinibus insciis, & non prius interrogatis, an regno & præfatis Ducibus eiusmodi connubium sit utile. Proinde si quispiam ex regni inhabitatoribus, nunc viventibus, aut posthac victuris, eminentioris aut humilioris conditionis, extra aut intra collegium Senatorium constitutus, consuluerit nostris Principibus hæreditariis, impiam aliquam religionem acceptandam, aut in alia educandos, quam quę commemorata est; illum pro regni perditore ac etiam perduelle nefario ducemus. Atque, ut omnis occasio tempestive huic inconstantiæ præcidatur, nemini alterius religionis quam prædictæ, in hoc regno licebit commorari, vel ad ullum officium ascendere; Sed, velut de Principibus hæredi-

tariis ſtatutum eſt, nimirum ut, quicunque illorum à vero & ſalutifero Dei verbo exorbitaverit, juriſdictionis hæreditariæ ad hoc regnum ſuſtineat diſpendium; Ita quoque viciſſim, quicunq; ex regni inhabitatoribus à Chriſtiana noſtra religione deſciverit, bonis ſuis privabitur, proximo conſanguineo ſubjiciendis, atque ex regno proſcribetur, ne occaſionem habeat ſuum evomendi venenum.

Similiter unanimiter conſenſimus, & ſtatuimus, neminem ex hæreditariis noſtris Principibus ad regalem apicem promovendum, qui aliud regnum acceptavit; Sicut neque rex hæreditarius ullus poteſtatem habebit, alias ditiones & regna acceptandi, niſi ſemper in regno Sueciæ commorari voluerit; Quandoquidem partim ſuperiorum temporum tranſactionibus, partim etiam ex modernis tumultibus, liquido cognoverimus, atque experti ſimus, quanta detrimenta hinc profluxerint, quod Sueciæ reges externum aſſumpſerint ſceptrum. Quocirca nos copulamus, obligamus, promittimus, & juramus, quod pro tenore huius juramenti noſtri, hanc inaugurationem & deſignationem regum hæreditariorum, velut de verbo ad verbum

hic

hic expressa & comprehensa est, quamdiu clementissimi regis nostri electi & S. C. hæredes masculi, atque deinceps illustriss. Principis Ducis Iohannis & S. C. legitimi hæredes masculi, in vivis & præ manibus fuerint, firmiter & irrevocabiliter observaturi atque sequuturi simus; Ac, quousque hæc Regalis & Ducalis familia perseveraverit, ex illa nostros legitimos Reges & Dominos, de linea seu familia, ad lineam seu familiam, petituri; prorsus ut in hac unione hæreditaria commendantur: Insuper pro illorum incolumitate, nostram salutem, bona, & vitam ipsam cuique discrimini objicere minime dubitabimus; pro viribus & facultatibus, externis ac internis regni ac illorum hostibus, moderno aut progressu temporis futuris, (nemine aut ulla natione, ditione, eminentiore aut inferiore magnate vel ordine exceptis,) resistendo; factisque ipsis id omne exhibendo, quod nobis erga legitimos nostros Dominos & Reges, patriamque, velut fidelibus nationis Suetiæ viris atque subditis, præstare convenit, atque secundum Dei mandatum, nostrum juramentum, obligationemque tenemur; inposterum nullum alienigenam, aut indi-

genam, (quocunque tandem pacto illud unquam fieri posset, nullis exceptis,) pro Domino aut Rege nostro acceptantes, aut agnoscentes, verum ex Gustaviana solum progenie oriundum; Atque potius eos persequemur, qui secus attentaverint, aut fecerint: Et quamdiu hæc Regalis & Ducalis prosapia viguerit, ex illa nostros & regni naturales designatosque reges atque gubernatores duntaxat petemus, à quibus nullo pacto odium, inimicitia, simultas, aliæve rationes, velut hominum astutia, suggestio aut seductio, nos permovebunt, aut avocabunt, sub salutis nostræ, honoris, bonorum, & prosperitatis amissione, ac perditione. Deinde, si contingeret, aliquem indigenarum vel unam vel plures regni ditiones moderno aut futuris temporibus (quod tamen Deo auxiliante non fiet) ab his deficere, vel alias tumultum quempiam aut inconstantiam velle commovere; pro tenore juramenti, & obligationis nostræ robore, promittimus, & spondemus, nos pro desiderio & petitione regis nostri electi, serio in illorum suppressionem & punitionem auxilia laturos; iis rebellibus neque palam aut clam, consilio vel auxilio, diversorio, aut ullo

ullo pacto, cibo vel potu, armis, aut aliis rebus neceſſariis ſuccurrendo, & roborando, ſed eos pro viribus, & quantum nobis poſſibile, perſequendo, ac ad internecionem delendo: Pari modo contra alias omnes externas impreſſiones, ac irruptiones, ſi ita neceſſitas poſtulaverit, fideliter & viriliter accurremus, atque pugnabimus, nullum vitæ diſcrimen ſubterfugiendo. Hactenus de unione renovata.

Multis rebus præclare geſtis, & republ. conſtituta, in bello, quod cum Danis geſſit, lethali morbo contracto, obiit xxx octob. anni CIↃ IↃC XI, duobus filiis, Guſtavo Adolpho & Carolo Philippo, & una filia, relictis: anno ætatis ſuæ LXI.

148. GUSTAVUS ADOLPHUS patri ſucceſſit, anno CIↃ IↃC XI, admodum adoleſcens, (quippe IX decemb. anno CIↃ IↃ XCIV natus,) inauguratus, & anno CIↃ IↃC XVII coronatus. De rebus ab ipſo præclare geſtis hiſtorię loquuntur. Duxit in uxorem anno CIↃ IↃC XX Mariam Eleonoram ſororem Georgii Guilielmi Electoris Brandeburgici; quę peperit illi aliquoties, ſed infeliciter. Primo & feliciori partu edidit filiolam Chriſtianam, anno CIↃ IↃC XXIV, menſe octobri; quæ eodem anno in vivis eſſe

desiit. Secundo partu, alteram filiolam, etiam Christinam, enixa est, quæ adhuc superstes est, & declarata regni hæres in comitiis Stockholmiensibus, anno CIↃ IↃC XXVII, mense decembri. Decreti verba in primo articulo ita se habent;

Quumque propositum hostis nostri dudum nobis innotuerit, fiducia haud levi decessus S. R. M. ex hac mortali vita innixum; quumque multi ex plebe simplices non probe intelligant articulum, in unione hæreditaria Norcopiæ anno CIↃ IↃC IV ab Ordinibus approbata, concernentem jus hæreditariæ successionis competens filiabus regiis: Itaque libera voluntate & deliberato eandé hæreditariam unionem jam redintegrare, declarare, omnibusque in memoriam itetum revocare voluimus. Obstringimus proinde nos singulos & universos, tam præsentes quam absentes, jam natos aut post nascituros, quod si quid humanitus evenerit S. R. M., sine legitima prole mascula emori; nos pro vera Principe nostra hæreditaria ac regina agnituros illustrissimam ac serenissimam Christinam, Suecorum, Gothorum ac Vandalorum Principem hæreditariam; & omne suæ celsitudinis

jus

jus regium tuituros, ſecundum dictæ unionis hæreditariæ decretum, & regni Sueciæ ſcriptas leges, quæ huic noſtræ obligationi non adverſantur.

CAROLVS PHILIPPVS, hæreditarius Sueciæ Princeps, Dux Sudermanniæ, Nericiæ ac Vermelandiæ; cælebs obiit in Livonia.

Ordinum regni Sueciæ decretum, ab ipſis unanimi conſenſu factum, in comitiis Stocholmiæ habitis 24 decembris, anno 1627.

NOs regni Suetiæ Senatores & Ordines, Comites, Barones, Epiſcopi, Nobiles, Clerici, Milites, Cives, denique promiſcua multitudo, ad hæc comitia jam cum bono Deo feliciter abſoluta, tam noſtro nomine quam aliarum provinciarum delegatione, habenda congregati; notum facimus, quod à ſereniſſ. ac potentiſſ. rege ac Domino, domino Guſtavo Adolpho, D. G. Suecorum, Gothorum, Vandalorumque rege, Magno Duce Finlandiæ, Duce Eſtoniæ ac Careliæ, Domino Ingriæ, &c. Domino noſtro clementiſſimo, ob regni quædam ardua negocia ad hæc comitia evocati, protinus ſubjectiſſime comparuimus, & ſuper rogationibus à S. R. M. ad nos

clementissime perlatis,& à nobis summa cura summoque studio perpensis, S. M. consilia ac sententias nostras subjectissime exposuimus,& unanimitet ita de iis scivimus.

1. Accurate excussimus rationes pacis componendæ cum Polonis, à S. R.M. hosti in Borussia ultimum oblatas; deprehendimusque eas tales, ut nullatenus emolliri aut mutari possint. Suademus itaque R. M., ne de rigore illarum quicquam demere, aut hosti ulla ratione cedere velit; tum,ne viribus fraudulentis ac imposturis aliqua accessio fiat, plura, quam par est, concedendo: tum etiam, ne, regnum illos deseruisse, qui se ac fortunas suas fidei eius commiserunt, & tot impensis tantoque labore in ipsa victoria contra terras ac regiones tam præclaras nil aliud quam pacem ignominiosam turpiter commercatum fuisse, videatur. Quin potius, si dictis legibus hosti certum est nolle pacisci, præstare arbitramur rem Deo ac fortunæ iterum committi, quo arrogantia ac fastus hostilis ulterius retundatur; freti certissima spe, Deum Opt. Max. pari benedictione nobis in posterum quoq; adfuturum, & omnia ex parte nostra ad felicem exitum perducturum.

Pro-

Promittimus autē ac pollicemur, nos pro virili non defuturos S. R. M., & pro S.R.M. ac patriæ tam juſta cauſſa fortunas omnes, ac vitam ipſam, cum uſus facto eſt, profuſuros. Cumq; propoſitum hoſtis noſtri dudum nobis innotuerit, fiducia haud levi deceſſus S. R. M. ex hac mortali vita innixum: cumque multi ex plebe ſimplices non probe intelligant articulum in unione hæreditaria Norcopiæ anno 1604 ab Ordinibus approbata, concernentem jus hæreditariæ ſucceſſionis, competens filiabus regiis: Itaque libera voluntate & deliberato eandem hæreditariam unionem jam redintegrare, declarare, omnibuſque in memoriam iterum revocare voluimus. Obſtringimus proinde nos ſingulos & univerſos, tam præſentes quam abſentes, jam natos aut poſt naſcituros, quod ſi quis humanitus evenerit S. R. M. (quod tamen Deus clementer in longum differat) ita ut contingat S.R. M. ſine legitima prole maſcula emori; nos pro vera Principe noſtra hæreditaria ac regina agnituros illuſtriſſimam ac ſereniſſimam Chriſtinam, Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Principem hæreditariam; & omne ſuæ celſitudinis jus regium tuituros, ſecundum dictæ

dictæ unionis hæreditariæ decretum, & regni Sueciæ scriptas leges, quæ huic nostræ obligationi non adversantur.

2. Cum à clementissimo rege nostro abunde nobis demonstratum sit, in maximis, si unquam antea, periculis (quæ tamen Deus à nobis clementer avertat) versari patriam nostram: Non melior ratio defendēdi regni pro re nata iniri potuisse visa est, quam si delectus militum fiat ad eundem plane modum quo superiori anno habitus fuit: ita tamen ne Nobilitatis immunitates ac privilegia futuris temporibus hoc ipso corrumpantur; & ne eius alacer ac promptus in reipublicæ commoda animus, ipsi aut posteris eius ullo pacto fraudi sit; utque liceat clero servos suos retinere fundis colendis ac conservandis.

3. Consentimus quoque, ut singulis jumentorum capitibus tributum, quod superiori anno pensum fuit, rursus imponatur, nec quisquam eo liberator; nisi quod Nobilium pecudes quæ pascuntur in prædiis, ubi ipsi morantur Nobiles, hac lege eximi placet. De agris ac semente idem obtineat. Pendito itaque, quisquis se incolam ac subditum regni agnoscit, pro qualibet tonna seminis VI oras; quolibet equo

XXIV ſemis; equa XII & quartam partem; equa juvencula VI; pullo equino ſex annorum VI; bove XXIV ſemis; vacca XII & quartam partem; tauro XVIII ſemis; juvenco XII & quartam partem; juvenca VI; ove annoſa II & quartam partem; ove juvene I ſemis; hirco IV & quartam partem; capro II & quartam partem; capra juvene I ſemis; capra plurium annorum II & quartam partem; ſue III oras. Sintque termini exigendo hoc tributo feſta Matthiæ, & Philippi Iacobi. Nos quoque clericis, ultra ſubſidium hoc univerſale, pro taxatione eius quod nobis cedit in vicem ſtipendii, in medium conferemus. Cives item pollicemur exhibituros nautarum numerum. Quod ſi vero hæc mala, cum quibus conflictatur regnum, hoc anno ceſſatura non ſunt, (quod Deus omen avertat;) neque dabitur opportunitas iterum indicendi comitia, convocandique ordines; Promittimus univerſi, ſponte nos dictum ſubſidium in annum prorogaturos: Ita tamen ne hæc promptitudo publica mala ſublevandi cuiuſquam libertatibus ac privilegiis ullatenus officiat; quod etiam S. R. M. nobis clementiſſime pollicita eſt.

4. Cum-

4. Cumque experientia comprobatum ſit, molas truſatiles privatorum, vectigal publicis molendinis impoſitum valde imminuiſſe, cum maximo reipubl. damno; Volumus tolli &abrogari omnes huiuſmodi manuarias molas. Verumtamen cum adhuc incertum ſit, an pro multitudine ac uſu populi molæ reperiantur extructę, S. R. M. clementiſſime indulſit clero ac plebi uſum molarum ſuarum in annum, cuius privilegii dies cedat à principio novi anni 1628, exeat vero cum anno, hac lege, ut gratitudinis loco exactoribus regiis pro capite puberis hominis ſolvant marcam unam, idque ad feſtum Matthiæ; pendendo tamen vectigal pro molitura. Et ne qua fraus fiat huic vectigali, utque conſtet omnibus, an quiſquam reditus publicos intervertere conetur, vel non; edictum promulgari juſſit S. R. M., quo, quid in dicti vectigalis exactione, quid in erogatione obſervari convenit, uberius ac plenius declaratur, quoque nos ac collegas ſocioſque noſtros abſentes obſtringimus, plane ut fideles ac obſequentes æquum eſt ſubditos.

5. Cum item S. R. M. per Senatores regni nobis clementiſſime ſignificarit, quanto-

quantopere ex usu reipubl. sit, si nonnullos ex corpore nostro delegerimus, cum quibus S. R. M. secreta quædam regni negocia seorsim posset communicare; nobisque considerandum reliquerit, an, quæ utilia factu judicaverint S. R. M., senatores regni, & viri à nobis delecti, calculo nostro non aliter ac publice acta consultaque approbare, executionique, ut fideles subditos decet, mandare velimus: Itaque plane acquiescentes judicio regio, ad hoc deputavimus ex nobilium ordine, generosos ac nobiles, Iohannem Sparrium, Baronem de Bolmeryth, &c. ex ecclesiasticorum numero reverendos ac doctos, D. Petrum Kenicium, archiepiscopum Vbsalienscm, &c. ex civium ordine, spectabiles ac prudentes viros, Iohannem Henrici, consulem Stocholmensem, &c. denique ex plebe, honestos viros, Magnum Davidis, &c. ut, quicquid illi consilii dederint S. R. M., & S. R. M. cum illis decreverit, plane ratum ac firmum habeamus, jam & in posterum, acsi à nobis omnibus scitum ac confirmatum foret.

In fidem actorum manus nostras adscripsimus, & sigilla propria, civilia, territorialia, ac provincialia adfiximus.

mus. Actum Stocholmiæ, 24 decemb. 1627.

PACTA INDVCIARVM, inter GVSTAVVM ADOLPHVM, Suecorum, &c. & SIGISMVNDVM III, Poloniæ, reges, &c. ad sex annos initarum, usque ad primam julii, anni CIↃIↃCXXXV.

NOs GVSTAVVS ADOLPHVS, *Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, Ingriæque Dominus, &c. Notum facimus universis quorum interest; dedisse nos mense præterito julii commissarios nostros plena potestate & mandatis instructos ad tractandum, interveniente mediatione amicorum regum & Principum, de pace aut induciis cum sereniſsimo Principe ac Domino, domino* SIGISMVNDO III, *Rege Poloniæ, Magno Duce Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogithiæ, Livoniæque, &c. consanguineo nostro, ac republica Polona. Qui congressi cum Ser. ejus & reipublicæ Polonæ commissariis, sequentia pacta, uti verbotenus infra sunt expressa & inserta, inierunt, &c.*

Nos, sereniſsimi potentiſsimique Prin-

Principis ac Domini, Dn. GVSTAVI ADOLPHI, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque regis, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ Domini, &c. Domini nostri clementissimi, regnique Sueciæ, commissarii; *Axelius Oxenstierna*, sacræ regiæ M. regnique Sueciæ senator & cancellarius, ad exercitum in Borussia legatus, ibidemque parrium S. R. M. subjectarum gubernator generalis, & liber Baro in Kymitho, Dominus in Fyholmen & Tydöen, eques auratus, &c. *Hermannus Wrangelius*, S. R. M. exercituum campi marschallus, Hæreditarius in Ahlo & Scogklosster, &c. & *Iohannes Banerius*, tribunus ac gubernator Höfftensis, Hæreditarius in Mulhammer, eques auratus, &c. Notum testatumque facimus universis quorum interest; Quod, cum ad sopiendum hoc funestum bellum, cum sereniſſimo ac potentiſſimo Principe ac Domino, domino SIGISMVNDO III, rege Poloniæ, Magno Duce Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogithiæ, Livoniæque, &c. reque publica Polona gestum, sereniſſimus ac potentiſſimus Princeps ac Dominus, dominus LVDOVICVS XIII, Franciæ ac Navarræ

rex, &c. Christianissimus, legatum suum illustrissimum dominum *Herculem*, Baronem de Charnace, equitem sui Ordinis, cubicularium secretiorem ac tribunum, &c. ac sereniſſimus & potentiſſimus Princeps & Dominus, dominus CAROLVS, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ rex, fidei defensor, legatum suum illustrissimum dominum *Thomam Röe*, &c. equitem auratum, miſiſſent; Hi adjunctis sibi sereniſſimi Principis ac Domini, domini GEORGII GVILHELMI, Marchionis Brandenburgēſis, S. Rom. Imp. Electoris & archicamerarii, in Prussia Ducis, &c. cōmiſſariis, magnificis ac generosis dominis, *Andrea à Kreutzen*, supremo cōsiliario & capitaneo Provinciali; *Bernhardo à Königseck*, consiliario Provinciali; & *Georgio Rauschke*, consiliario judicii aulici Ducatus Prussiæ, &c. postquam studio omni, summa fide ac dexteritate, reducendæ tranquillitati incubuiſſent, sepoſito in præsens, ad tempus certum, pacis perpetuæ negotio, quo interim de hoc pacatius ageretur, eo rem, divina adjuvante bonitate, deduxerunt, ut congreſſi hiſce diebus cum reverendiſſimis ac illustrissimis, illustribus, magnificis & generosis dominis commiſſa-

missariis sereniſſimi regis regniquePoloniæ, domino *Iacobo Zadzik*, epiſcopo Culmenſi ac Pomeſaniæ, regni Poloniæ ſupremo cancellario; domino *Iacobo Sobiesky*, inciſore regni Crasnoſtavienſi; domino *Georgio Oſolimsky de Tenczyn*, dapifero regni Adſelenſi; & domino *Magno Erneſto Doenhoff*, Derpatenſi, capitaneis, &c. de induciis ad modum ſequentem convenerimus, ſtatuerimus & concluſerimus.

Sint ex hoc die induciæ inter ſereniſſimum Principem, dominum GVSTAVUM ADOLPHVM, regem Sueciæ, &c. Dominum noſtrum clementiſſimum, ſacræ regiæ Majeſtatis ſuæ ſucceſſores, reges Suecorum, regnumque Sueciæ, ex una parte; & ſereniſſimum Principem, Dominum SIGISMVNDVM III, regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, &c. ſuæque Majeſtatis ſucceſſores, reges Poloniæ, & Magnos Duces Lithuaniæ, regnumque Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ, ex altera parte; annis ſequentibus *ſex*, à data præſentium computando, uſq; ad primum julii, ſtylo veteri, anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quinti. Sac. reg. M. regnumque Sueciæ abſtineat, durantibus induciis, omni hoſtilitate adverſus re-

gem regnumque Poloniæ,& Magnum Ducatum Lithuaniæ, eiſque ſubjectas provincias, caſtra, civitates & territoria; neque quidquam vel per ſe, vel per alios, moliatur aut tentet, tentarive faciat, in horum detrimentum aut præjudicium. Ad eundem modum ſereniſſimus rex regnumque Poloniæ,& MagnusDucatus Lithuaniæ,abſtineat, durantibus induciis, omni hoſtilitate adverſus regem regnumque Sueciæ, eiſque ſubjectas provincias, caſtra,civitates & territoria; neque quicquam vel per ſe, vel per alios, moliatur aut tentet, tentarive faciat, in horum detrimentum aut præjudicium. Sereniſſimus rex Sueciæ reddat ſereniſſimo regi reique publicæ Polonæ *Strasburgum* in Culmenſi tractu, cum ſuo territorio, *Dirſchaviam* in Pomerellia, cum ſuo territorio, inſulam *Gedanenſem*, *Gutſtadium*, *Vormitum* & *Mehlſaccum*, cum ſuis territoriis, in epiſcopatu VVarmienſi; item eccleſiam *Fravvenburgenſem*,cum ſuo adjecto oppidulo & pagis; tum *Mithaviam* in Semigallia, cũ ſuo territorio,Duci Churlandiæ:hoc obſervato,ut *Nova Munda* & *Spilven*, cum iis quæ cohærent, uti in prioribus induciis factum eſt, *Rigam* ſequantur; & *Fravvenburgum* his legibus

bus reddatur, ut portus Fravvenburgenſis, cum tota Habi ripa & littore, maneat in poteſtate regis Sueciæ, reſervatis Fravvenburgenſibus ſuo piſcandi jure; deinde ne Fravvenburgum, aut quis alius locus eius territorii, ſtantibus induciis, muniatur; & ut iter regis Sueciæ ſubditis ac militibus ſemper ſit liberum per Fravvenburgenſe territorium. In Livonia utraque pars, uti nunc poſſidet, ita poſſideat durantibus induciis, excepta Mithavia, ut in ſuperiori articulo. In Pruſſia vero rex regnumque Sueciæ retineat & poſſideat, uti poſſidet, *Brunsbergam* & *Tolkemitum*, cũ ſuis territoriis, *Elbingam* cum ſuo territorio, tam in continente, quam in utraque inſula, & inſulam Fiſchavienſem integram. In Majori Inſula ripam omnem Habi, incipiendo à territorio *Elbingenſi*, uſque ad oſtium Viſtulæ, cum adjacentibus & propinquis pagis *Stobendorff*, *Habersdorff* & *Allendorff*; tum ad Viſtulam Tigenort, atque inde ducta linea ad aggerem inſularem, cum ipſo aggere & Kukukskrugh uſque, ad *Ianckendorff*, & quicquid agri, vulgo *Butendÿk*, inſularum aut paludum, cum inædificatis ædibus, tabernis & ſtructuris, quæ Inſulam Majorem & Neringiam interjacent, atque

à *Ianckendorff*, inter aggerem Insularem ac Neringiam in Habum usque procurrunt, una cum *Cobelgrube*, *Groskenkrug*, *Stuthoff*, *Stegen*, atque hinc ducta in mare linea, quicquid Neringiæ, *Stegen* atque *Pillaviam* interjacet, cum ipso portu Pillavienſi; salvis operis & excubiis circa reficiendos & conservandos aggeres, quas coloni earundem villarum statis temporibus præstare tenebuntur, more consueto. Mariæburgum cum Insula Majori, (excepto Elbingenſi territorio, & ripa pagisque supradictis,) Stuma, Capite Vistulæ in Neringia, durantibus induciis collocentur & sequestrentur in manu sereniſſimi Principis, Domini GEORGII GVILHELMI, Marchionis & Electoris Brandeburgenſis, in Pruſſia &c. Ducis, hac lege, ut menſe uno ante exitum induciarum (ſi interea de principali negotio non convenerit) Mariæburgam cum Capite seu fortalitio Viſtulæ, Stuma & Majori Insula, non aliter ac nunc tenèntur ac possidentur, regi regnoque Sueciæ reddantur ac restituantur, sine fraude, doloque. Pro majore securitate regis regnique Sueciæ, ratione recuperationis Mariæburgi, Capitis Viſtulæ & Stumæ, serenisſimus Elector relinquat in manu re-

nu regis Sueciæ Fischausium & Lochstettum, cũ suis territoriis, & eam territorii Schakensis partem quæ Neringiam ac lacum Churonicum spectat, Fischausenseque territorium cum Neringia & lacu connectit, prout inter regis Sueciæ ac Electoris commissarios convenerit; tum ipsam Neringiam Churonicam; ac demum Memeliam castrum & civitatem, cum suo territorio: & hæc possideat ac retineat rex regnumque Sueciæ eodem jure, quo nunc Mariæburgum habet, donec aut hoc cum Insula, Vistulæque Capite seu fortalitio, cæterisque, uti dictum est, redditum fuerit, (quo casu illa sereniss. mo Electori sine fraude doloque restituentur,) aut per nova diuturnioris pacis pacta aliter convenerit. In sequestrandis aut tradendis hisce, quæ restituentur, vel cautionis loco dabuntur, hic ordo observetur, ut tradita regis Poloniæ ratificatione *Strasburgum*, *Gustadium*, *Vormitum*, *Melsaccum*, *Frauvenburgum* & *Dirscavia*, deductis præsidiis, tradantur commissariis regis regnique Poloniæ, intra dies ad summum sex. Tradetur quoque *Mariaburgum* & *Stuma*, deductis præsidiis regis Sueciæ, sereniss. imo Electori intra duodecim dies. Quo recepto Memelia

cõmiſſàriis regis Suecię, deducto præſidio Electoris, intra dies VIII conſignabitur; ac demum Caput Viſtulæ eidem Electori, deductis præſidiis, intra dies octo tradetur; idque omne, quicquid ſit, ſine dolo ac fraude, à ſingulis & univerſis fiat ac præſtetur, bona & Principali fide; Iuſtitiaque de præſidiariis, ſi quam injuriam civibus & incolis ante & in abitu, ſive etiam in tranſitu intulerint, vel pecunias exegerint, adminiſtretur. Rex ac reſpublica Polona nihil, durantibus induciis, moliatur aut tentet adverſus Mariębburgum, Caput Viſtulæ, Majorem Iſulam aut Stumam, nec vi, nec alia quavis ratione; ſed ſereniſſimum Electorem, toto hoc tempore, ab omni periculo immunem præſtet, locaque ſupradicta pacifice poſſidere patiatur. Sit omnium anteactorum amneſtia; & rex ac reſpublica Polona receptas in fidem ſuam civitates ac territoria, ſinguloſque cives & incolas, omni meliore modo indemnes præſtet; juribus ac privilegiis, quibus ante hoc bellum gaviſi ſunt, ſinguli ac tota communitas, non minus inpoſterum libere & ſine cuiuſquam impedimento fruantur. Cunctæ actiones adverſus illos, qui partes regis Sueciæ hoc bello ſecuti ſunt, aut ſecuti eſſe

esse insimulantur, quibuscunque in locis, sive restitutis, sive sequestrandis, habitent, vel instituendæ vel institutæ, cessent, & si quæ intentatæ sunt, tollantur, omnique careant executione tempore induciarum. In locis sequestratis ecclesiæ ac bona sacerdotum maneant ad eundem modum tempore induciarum, quo erant ante occupationem. Tum *Brunsberga* pro libero religionis Catholicæ usu templum *Neustadense*, & in districtu eodem ruri tres ecclesiæ concedantur. Neque vis aliqua aut injuria illis inferatur; justitiaque debita conquerentibus administretur. Euangelicis quoque salvo manente & libero in locis sequestratis restitutisve, uti ante viguit, publico suæ religionis exercitio, sine ullo impedimento aut molestia. Parochi autem concessarum Catholicis ecclesiarum supra nominatarum, suis antiquis proventibus gaudeant. Si cui aut quibus non placuerit in restitutis civitatibus & territoriis manere, sed potius, mutato domicilio, se vel Elbingam, vel etiam ad exteros conferre: liberum cuilibet sit sua divendere, aliis elocare, aut pro lubitu suo distrahere, sine ullo impedimento aut onere, sub quocunque prætextu imponendo. Idem quo-

que liberum erit in iis locis, qui in poſſeſſione regis regnique Sueciæ remanebunt. In locis reſtituendis & ſequeſtrandis relinquantur bona fide omnia mobilia eccleſiarum, quæ in præſens reperiuntur; uti ſunt vaſa & veſtes ſacræ, campanæ, aliaque ad uſum eccleſiarum ſervientia; tum libri cancellariæ, privilegia & acta publica. Si quæ tamen temporum injuria à milite ſunt direpta, aut reliquorum negligentia corrupta, ulterior in id inquiſitio non inſtituatur, nec quiſquam ad reſtitutionem teneatur. Tormenta itidem bellica & bombardæ majores, quæ tempore occupationis inventæ fuerant, & adhuc in civitatibus reſtitutis ſunt, reſtituentur. Tormenta vero & alia inſtrumenta bellica tot in quantitate & qualitate remaneant *Mariæburgi* & in Capite Viſtulæ, quot ab Electore in Memelia tradita fuerint; ſicuti de hiſce inter regem Sueciæ atque Electorem convenerit. Si S. R. M. Sueciæ aliqua bona mobilia jure caduco, vel communitatibus, vel privatis & ſingulis largitus fuerit, ea ſerventur iis, quibus collata ſunt. Exercitus omnes, exceptis præſidiariis, ab utraque parte ex Provincia deducantur, nec inpoſterum utrinque reducantur ſtantibus indu-

induciis; multo minus in terras ac Ducatum, ſub qualicunque prætextu, mittantur. Commercia & itinera, terra, fluminibus ac in portubus utrinque libera ac minime impedita ſint, tam in regno Poloniæ, quam magno Ducatu Lithuaniæ; nullaque vectigalia aut exactiones in terra aut fluminibus alterutra pars imponat, ſed omnia maneant in hoc ſtatu, prout ante hoc bellum fuerant. Defluitatio mercium ex magno Ducatu Lithuaniæ Regiomontum verſus, nulla ratione in lacu Curonenſi ex portu Memelienſi impediatur; nullaque vectigalia in eodem lacu exigantur. Eadem libertate fruantur incolæ magni Ducatus Lithuaniæ, in commerciis per Dunam exercendis. Omnes captivi utrinq; detenti, cuiuscunque ſint conditionis & ſtatus, nemine excepto, liberi & ſine pretio, ii qui in Pruſſia & vicinioribus Palatinatibus, intra quindecim dies; qui in majori & minore Polonia, intra menſes duos: qui in Ruſſia & Lithuania, remotioribuſque Provinciis detinentur, intra tres menſes, dimittantur. Idem ſervandum ex parte regis Sueciæ, ut ii, qui in hiſce locis detinentur, intra quindecim dies, qui vero in Sueciam abducti, vel in Livonia detinentur,

intra

intra tres menſes dimittantur. Præſidia utriuſque partis ex locis Ducatus Pruſſiæ, ubi fuerint, deducantur, obſervata militari diſciplina, nec miles ab utrinque Ducatum hybernis aliquibus gravabit. Si quæ actiones cuipiam cuiuſcunque ſtatus & conditionis in Ducatu Pruſſiæ occaſione huius belli intentatæ ſunt, aut intentari poſſunt, eæ durantibus induciis ceſſent. Si quis, quicunque is futurus ſit, aut ſub quocunque prætextu, hiſce pactis contravenire, effectum pactorum & reſtitutionem dictorum locorum impedire, aut ſi tertius quis ſub quocunque prætextu ſereniſſimum regem regnumque Sueciæ hic in Pruſſia infeſtare & aggredi voluerit; rex & reſpublica Polona, Dux Boruſſiæ, Ordines regalis Boruſſiæ, & urbs Dantiſcana, ſpondeant, ac promittant, ſe arma cum S. R. M. regnoque Sueciæ conjuncturos, & id pro virili averſuros, neque pacta hæc paſſuros ullo modo violari. Idem ſpõdeat ac promittat ſereniſſimus rex regnumque Sueciæ, ſe nullo modo paſſuros pacta hæc violari, ſed arma cum ſereniſſimo rege ac republica Polona, ut & Duce Boruſſiæ, Ordinibus regalis Boruſſiæ & urbe Dantiſcana juncturos, adverſus quemcunque, qui hiſce pactis

pactis contravenire, effectum pactorum & restitutionem dictorum locorum impedire, aut sub quocunque prętextu regem ac rempubl. Polonam armis in Borussia infestare, aut huc penetrare adgressus fuerit: cunctaque imminentia mala pro virili aversuros. Injurias tam personales, quam reales, sub istas inducias incidentes, una pars de altera non vindicabit, salva jurisdictione cuiusque partis ordinaria; sed justitia ab officialibus & magistratibus cõpetenter requiratur, eademque indilata ab utrinque administretur, severæque pœnæ in violatores pacis fide publica roboratæ exerceantur; nullæque repressalię aut arresta, tam terra, quam mari, ratione cuiuscunque injuriæ, nisi justitia pluribus vicibus petita non administretur, admittantur; &, si quæ ante hoc bellum concessa sunt, cassentur; ita tamen ut iis, quibus concessa sunt, justitia administretur. Quod si quid gravius inciderit, quod violationem pactorum concernere videretur, dentur utrinque bini commissarii, qui loco aliquo inter *Elbingam* & *Mariaburgum* assignato convenient, controversiasque exortas sopiant ac decidant. Idem in Livonia constituatur. Cum inducię præsentes eo fine conclusæ sunt,

sunt, ut tanto facilius, sive de pace perpetua, sive longioribus induciis, inter partes, interventu Christianorum Principum, tractari possit; assignentur commissarii utrinque cum plenissimis mandatis, qui spacium unius anni à data præsentium computando, loco ac tempore, de quibus inter partes per serenissimum Electorem conventum fuerit, conveniant, ac de principali negotio, firmaque ac stabili pace, mediantibus amicis, tractent; qui si rebus infectis (quod Deus avertat) discesserint, firmæ maneant induciæ, neque tamen occasiones reducendę perpetuę pacis ulterius omittantur. Si hisce pactis ex parte S. R. M. regnique Sueciæ, rex Daniç, tum Ordines generales confœderati Belgii, & Princeps Transylvaniæ, comprehendi & inseri velint, sit ipsis eius facultas; modo se ad ista intra quinque abhinc menses declaraverint. Similiter ex parte serenissimi regis & reipublicæ Polonæ, si Romanorum Imperator, Hispaniarum rex, infans Hispaniarum, Belgii Princeps, Dux & Elector Bavariæ, comprehendi & inseri velint, sit ipsis eius facultas; modo se ad ista intra quinque abhinc menses declaraverint. Vt pactis hisce firmius insistatur, certoque constet, bona

bona fide utrinque ſervatum iri, ita convenit, ut primo, redditis utrinque procuratoriis D. Dnn. commiſſariorũ, pacta hæc manu & ſigillo eorundem firmarentur & viciſſim redderentur. Tum, ut ſereniſſimus rex Poloniæ quãtocius ſecundum præſcriptam formulam confirmaret hæc pacta, & antequam ullius loci fiat reſtitutio, ſuam confirmationem traderet. Deinde, ut ſereniſſimus rex Sueciæ ſolenni inſtrumento ſuo illa nomine ſuo & regni Sueciæ rata haberet, & reſpublica Polona eadem in comitiis primo quoquo tempore celebrandis ſolenniter approbaret, atque confectis inſtrumentis ratificaret. Quæ inſtrumenta ſolennia ad formulam præſcriptam, nulla voce aut ſyllaba mutata, per utriuſque partis commiſſarios deputatos, quanto citius poterit, ad limites territoriales inter *Elbingam* & *Mariæburgum* ſine mora aut excuſatione reddi utrinque & recipi debebunt. Ad eundem modum ſereniſſimus Elector Brandeburgicus promittat, ſe *Mariæburgum* & *Caput Viſtulæ*, cum *Inſula Majori* & *Stuma*, jure ſequeſtrationis retenturum, & menſe uno ante exitum induciarum, deductis ſuis præſidiis, ſereniſſimo regi & regno Sueciæ in manum redditurum;

rum; recepturus viciſſim *Memeliam, Fiſchauſium, Lochſtettum* & *Schakium;* uti ante convenit; & hoc ſpeciali inſtrumento ſpondeat ac promittat. Actum in campo, ad villam Altemarck, vulgo Starytarg, die decimaſexta ſeptembris, ſtyli veteris, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimonono.

Nos itaque GVSTAVUS ADOLPHVS, *Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque rex, &c. promittimus & recipimus nomine noſtro, ſucceſſorum noſtrorum, regnique noſtri Sueciæ, Nos ſingula & univerſa capita, pactis ſupraſcriptis inſerta & comprehenſa, bona & regia fide adprobare, laudare & ratihabere; ſicuti hiſce adprobamus, laudamus & ratihabemus; nec paſſuros, à noſtratibus aut aliis ullo modo violari. In quorum majorem fidem ac certitudinem, hiſce manu noſtra ſubſcripſimus, & ſignum noſtrum apponi juſſimus.*

VII. RE-

VII.

REGIA FAMILIA SVECIÆ.

Sequentia hausta è Theatro Nobilitatis Suecanæ, à Ioanne Messenio Sueone fabrefacto.

GVSTAVUS Erici, rex Sueciæ designatus anno CIↃ IↃ XXIII, & XXVIII coronatus.

Huius prima uxor fuit Catharina, Magni Saxoniæ Ducis filia; ex qua suscepit *Ericum* XIV, Suecorum regem; qui natus fuit XIII decemb. anno CIↃ IↃ XXXIII, & coronatus LXII; defunctus CIↃ IↃ LXXVII.

Secunda, Margareta, filia illust. viri Erici Abrahami de Loholm, Equitis, & Gubernatoris Vestrogothiæ; quam duxit anno CIↃ IↃ XXXVI; hæc illi genuit

1. *Ioannem*, Sueciæ R.

2. *Catharinam*; quæ nupsit Echardo Frisonum Comiti anno CIↃ IↃ LIX; eique peperit Ennonem, Gustavum, Ioannem, & Christophorum, Comites Frisonum orientalium.

3. *Ceciliam*; quæ nupsit Christophoro Marchioni Badensi, ann. CIↃ IↃ LXIV; eique genuit Eduardum Fortunatum,

natum, Christophorum Gustavum, & Philippum.

4. *Magnum*, Ducem Ostrogothiæ, qui obiit anno CIↃ IↃ XCV.

5. *Stenonem;* qui puer obiit.

6. *Annam;* quæ nupsit Georgio Ioanni, Comiti Palatino Rheni, & Duci Bavariæ, anno CIↃ IↃ LXIII; eique progenuit Georgium Gustavum; Ioannem Rupertum; Annam Margaretam; & Vrsilam consortem Vlrici Ducis VVirtembergensis.

7. *Carolum;* qui statim defunctus est.

8. *Sophiam;* quæ nupsit Magno, Duci Saxoniæ, anno CIↃ IↃ LXVIII; eique genuit Gustavum Ducem Saxoniæ; qui obiit Holmiæ anno CIↃ IↃ XCVII.

9. *Elizabetham;* quæ nupsit Christophoro Duci Megapolensi; eique genuit unicam filiam Margaretam, anno CIↃ IↃC VIII Duci Megapolitano enuptam.

10. *Carolum*, Ducem Sudermanniæ, &c.

Obiit hæc regina anno CIↃ IↃ LI.

Tertia conjux fuit Catharina, Gustavi Olai Baronis de Torpa & Gubernatoris VVestrogothiæ filia, quam duxit anno CIↃ IↃ LII, sed nullos ex ea suscepit liberos.

Erico

Erico XIV genitus fuit *Gustavus* Dux.

Ioannes, Sueciæ rex, natus anno CIↃ IↃ XXXVII, coronatus CIↃ IↃ LXIX.

Huius prima uxor fuit Catharina, Sigismundi primi Polonorum R. filia; quam duxit anno CIↃ IↃ LXII. Hæc illi genuit *Sigismundum* Polon. R., & *Annam*.

Secunda uxor fuit Gunila, Ioannis Axelii Bielke de Heresteter Equitis & Ostrogothiæ Gubernatoris filia; quam duxit anno CIↃ IↃ LXXXV. è qua illi natus *Ioannes*, Ostrogothiæ Dux, & hæreditarius regni Princeps; qui anno CIↃ IↃC XII duxit in uxorem illustrissimam Mariam Elisabetham, Caroli IX Sueciæ R. filiam.

Sigismundo Poloniæ regi prima uxor fuit Anna, Caroli archiducis Austriæ filia. è qua ipsi nati: 1. *Anna Maria*. 2. *Catharina*. 3. *Wladislaus*, rex Poloniæ designatus. 4. *Christophorus*, è matris utero cæsus, & paulo post defunctus cum matre.

Secunda conjux Constantia, superioris soror. è qua etiam plures liberi ipsi nati fuerunt.

Carolus, natus anno CIↃ IↃ LI primo Dux Sudermanniæ, Nericiæ & Vermelandiæ; dein anno CIↃ IↃC VII in

regem Sueciæ coronatus; duas habuit uxores.

Primam; Mariam, Ludovici Electoris Palatini filiam; quam duxit anno CIↃ IↃ LXXIX. ex hac nati *Margareta Elizabetha*, quæ quinquennis obiit; *Elizabetha Sabina*, itidem defuncta; *Ludovicus*, qui statim obiit; *Catharina*, nata anno CIↃ IↃ LXXXIV, & enupta sereniſſimo Principi Ioanni Casimiro, Palatino Rheni, & Duci Bavariæ, anno CIↃ IↃC XV; *Gustavus*, qui infans obiit; & *Maria*, itidem defuncta. Obiit ipsa regina anno CIↃ IↃ LXXXIX.

Secundam, Christinam, Adolphi Holsatiæ Ducis filiam; quam duxit anno CIↃ IↃ XCII. Hæc regi peperit *Christinam*, quæ haud diu superfuit; & *Gustavum Adolphum*, qui hodie regno Sueciæ feliciter imperat, IX decembris anno CIↃ IↃ XCIV; & *Mariam Elizabetham*, anno CIↃ IↃ XCVI; quæ anno CIↃ IↃC XII nupsit domino Ioanni, Sueciæ Gothiæque Principi hereditario, & Duci Ostrogothiæ; denique *Carolum Philippum*, hæreditarium Sueciæ Principem, & Ducem Sudermanniæ, Neiciæ & Vermelandiæ, anno CIↃ IↃC I.

De

De Ducum, Comitum, Baronum, & Equitum dignitatibus in Sueciæ regno.

DVcum, qui secundum in amplissimis regnis post reges & illorum filios gradum sibi vendicant, dignitatem & authoritatem, ne regum quidem filiis, multo minus Ducum, Sueci antiquitus attribuerunt, nisi insigni aliquo virtutis documento illam promeruissent; unde Carolus VII & Ericus X quanquam regibus progenati essent, tamen vetustissima regni diplomata non ipsis Ducum nomenclaturam perhibent assignatam, sed nobiles juvenes, vulgo *Iuncker*, compellatos, donec egregiis virtutum facinoribus conspicui, illam regiumque titulum promeruissent. Idem & de Ducum filiis aperte liquet.

De Comitibus idem propemodùm asseverat Gothorum historia; quorum illustris dignitas, à temporibus admissæ religionis Christianæ, in Suecia fere intermissa fuerat, donec potentissimus Gothorum rex Ericus XIV, an. CIↃ IↃ LXII, in festivitate coronationis suæ, sequentes regni magnates, Comitum titulo & insignibus donavit; Suantonem Sture de VVestervvijck: Petrum

Brahe ſuum amitinũ de Viſſingzborg: Guſtavum Ioannis de Bogeſund, Comites ipſo inaugurationis die, qua par erat ſolemnitate, proclamando. Ioannes III regno potitus Stenonem Erici anno CIↃ IↃ LXVIII Comitis dignitate & inſignibus decoravit. Pari modo Guſtavus II anno CIↃ IↃC XV Iacobum de la Gardie, ob inſignem operam in bello Muſcovitico regno Sueciæ navatam, Comitem de Lecko VVeſtrogothiæ merito deſignavit.

Baronum authoritas nulli in ampliſſimo Suecorum imperio ante Erici XIV regis tempora fuit impertita. ille autem Baronum titulo primus donavit Guſtavum Olai de Torpa: Stenonem Erici de Grefnes: Birgerum Nicolai de Vynes: Gabrielem Chriſtierni de Mœrby: Laurentium Flemming de Sundholm: Carolum & Georgium Gere de Byrckevvyck & Olleno, germannos: Claudium Chriſtierni de Amynne, & Ericum Guſtavi de Oereſteen. Ioannes deinde Rex ad eundem modum hoc titulo ornavit: Nicolaum Gyllenſtiern de Lundholm & Foglevvyck, regni Suecici Cancellarium; Hogenſcildum de Lecko; Pontum de la Gardie, natione Gallum & ductorem exercitus Suecici contra Moſchum;

ſchum ; ac denique Claudium Flemming de Svvidia. Carolus IX Rex; Suantonem Bielke de Krakerum regni Cancellarium; Nicolaum Bielke de Saleſtad; Abrahamum Erici de Ekeberga. Denique Guſtavus II; Carolum Caroli Gyllenhelm de Barquara ac Sundbyholm.

Dignitas vero Equeſtris ſive Equitum auratorum, à remotiſſima hominum memoria, ad hunc uſque diem, apud Sueonas, Gothoſque, præmium præclarorum facinorum fuit. Vnde Ericus XIV veterum regum exemplo, in coronationis ſuæ feſtivitate, cingulo equeſtri impertivit; Georgium Erici de Foglevvyck: Thuronem Petri de Saleſtad: Dionyſium Beuræum præceptorem ſuum: Nicolaum Boye: Aruidum Trolle: Ericum Caroli: Nicolaum Caroli: Claudium Flemming: Canutum Canuti: Ericum Magni: Signonem Laurentii: Ioannem Bonde: Benedictum Gylte: Ioannem Kyle: Guſtavum Fynke: Nicolaum Krumme: Ivarum Ivari: & Georgium Normannum. ſequenti autem die; Magnum Suenonis: Canutum Haraldi: Ericum Georgii: & poſtilla Ioannem Claudii: & poſtilla Ioannem Claudii & Ioannem Beronis. Sigiſmundus autem in

festo coronationis suæ, nulli huiusmodi virtutis præmia contulit. Quo vero ritu equestris dignitas olim collata fuerit, ita describit Olaus lib. XIV cap. VII.

Facta igitur juxta præmissas ceremonias, apud Deum & homines omni ævo commendabiles, coronatione, ipse rex secundum formam antiquarũ legum regnorũ suorum, nova privilegia diverso hominum statui, quatenus & quibus opus sit, liberaliter concedit, vel pridem ab antecessoribus concessa restaurat & auget. Demum milites auratos, feudis abundanter distributis, cingulo, ense & clypeo præstitis, tali tamen interveniente juramento, in manibus alicuius Prælati assistentis facto, creat: Ego N. opto ita mihi Deum propitium & B. Virginem ac S. Ericum, quod volo juxta extremum meum posse, per vitam & bona mea, defendere Catholicam fidem & Sanctum Euangelium, & tenere ac protegere ecclesiam & eius ministros in sua libertate & immunitate, & stare contra omne quod iniquum est, & confortare pacem ac justitiam, defendere pupillos & orphanos, virgines, viduas ac pauperes, & fore fidelis ac securus meo regi & regno

gno seu patriæ meæ, & juste exhibere atque exercere meum statum militarem, ad honorem Dei, secundum ultimum posse meum; sic me Deus adjuvet, & omnes sancti eius.

De Archidapiferi, Legiferi & Armigeri officiis in regno Sueciæ.

ARchidapifer, vulgo *Drotzet*, idem denotat quod Prorex, eodemque, absente Rege, cum amplissima potestate, fungitur officio; vulgari vocabulo magis illam authoritatem exprimente, quam Latino: nam *Drotte* olim apud vetustissimos harum regionum indigenas id prorsus notabat, quod hodie *Konung*: Hinc consortes hodie Regum Aquilonarium, eadem nomenclatura *Drotninger*, quasi Regum conjuges, vulgo appellantur: Pari modo & *Drotzete* inde etymum suum accipit, tanquam locum & sedem Regis tenens, non autem à *Truchsäs* Germanorum, quo Dapiferum designant. Quanquam vero non absimile videatur, Germanos olim, voce Gothica *Drotzet* haud probe intellecta, quæ tum temporis, una cum toto Gothorum sermone, pro imperio à Gothis victoribus obtrudebatur, inde perperam supremum illud etiam hodie in

curia Imperatoria officium Latinitate donasse, Proregem Archidapiferum appellando.

Legiferi summæ quoque & authoritatis & potestatis apud Sueones Gothosque extiterunt: neque hodie quicquam eorumdem authoritati decessit, præterquam quod regno jam hæreditario facto, non amplius, ut olim, Regem designent. Novem autem sunt in regno Sueciæ Legiferatus, seu Legiferorum districtus; singulique suum peculiarem nomophylacem habent assignatum, quem super jure & justitia in quibuslibet cõtroversiis cõsulunt, quæ ab inferiori foro ad illos per appellationem devolvuntur, & honorificum illis quotannis salarium contribuunt.

De Armigerorum dignitate in Suecia, idem omnino sentio quod doctissimus vir Thomas Milles in libello de Nobilitate Britannica de hac re asseverat; præsertim quum probe sciam, non solum in hac parte, sed etiam plurimis aliis, jam olim inter Anglos Sueonesque similitudinem consuetudinum invaluisse. Angli opinio eiusmodi est: Armiger, qui & Scutifer, quandoque & *Homo ad arma* olim dictus; Gallice *Escuire*, Equiti aurato proximus est; utpote qui antiquitus militem

militem à latere insequendo, arma eius, ut commilito fidelissimus, tulerit; unde forsan ii, quos hodie in Regum nostrorum hospitiis, *armigeros pro corpore* agnoscimus, originem duxisse videntur: sed quod initio munus bellicum institutione fuerat, nunc dignitatis gradum obtinet. Etsi quorundam Suecorum opinio hac de re, haud prorsus explodenda videatur, contendentium, majores suos Armigerorum nomine viros saltem nobiles insinuasse, arma sive insignia gentilitia ferre & gestare suetos, ad distinctionem reliquorum nullis insignium pigmentis gaudentium.

Monendum denique, Nobilitatem Suecicam rarissime quondam cognomina usurpasse, præter patronymica; unde non modica perturbatio veterum familiarum nepotibus fuit relicta; cuius evitandæ gratia sensim hodie Nobiles ab insignibus cognomina mutuant.

Præcipuorum Sueciæ magnatum sylloge, anno CIↃ IↃC XIV.

Regni Senatores.

MAgnus Brahe, Comes de Visingzborgh, regni Archidapifer, & Legifer Vplandiæ.

Abra-

Abrahamus Brahe, Comes de Visingzborgh, & Legifer Vesmanniæ.

Axelius Ryningh, regni Marscalcus, & Legifer Sudermanniæ.

Georgius Gyllenstiern, Baro de Lindholm & Byrkesund, regni Admiralius, & Legifer Tiustiæ.

Axelius Oxenstiern, Baro de Fyholm, regni Cancellarius, & Legifer Bothniæ occidentalis.

Nicolaus Bielke, Baro de Saleſtad, & Legifer Smalandiæ.

Ioannes Erici de Broxvvijck, Castellanus Calmarii, & Legifer Vermelandiæ.

Gustavus Stenbock, Baro de Kronebek, & Legifer x provinciarum.

Ioannes Achatii de Biurum.

Erlandus Beronis de Scatmansoe.

Boëthius Ribbing de Sæby.

Nicolaus Andreæ de Fardala.

Henricus Horn, aulæ regiæ Marschalcus.

Cameræ Consiliarii.

IOannes Skytte de Grœnsœ & Elsuesiœ.

Broderus Andreæ de Bro.

Præter

Præter hos sunt magnates & judicii regii assessores.

CLaudius Sture Comes de Vesterwvijck.

Casimirus & Steno Comites de Rasborg.

Iacobus Ponti de la garde, Comes de Leckoe.

Carolus Caroli Gyllenhielm, liber Baro de Berquara & Sundbyholm.

Abrahamus Erici, Baro de Eckeberga.

Philippus Scheding, Castellanus Narvensis.

Olaus Strale, Vicepræses Parlamenti regii.

Carolus Gyllenstiern de Vynes.

Georgius Vlphonis de Nornes.

Iacobus Baat de Stœfle.

Boëthius Gustavi de Follenes.

Ioannis Gothorum Ducis Consiliarii.

SVanto Sture, Comes de Vesterwvijck.

Gabriel Oxenstiern, Baro de Toresiœ.

Lindormius Ribbing de Boxholm.

Ericus Georgii Vlfsparre de Heresetter, S. C. Marschalcus, & Castellanus Stekeburgensis.

Sueno

Sueno Magni de Vesterby.

Ioannes Nicolai de Idingstad, Castellanus Vastenensis.

Petrus Nicolai de Sœby.

Margareta, Gustavi I regis germana, primo nupsit Ioachimo Brahe, eiq; progenuit illustrem Dominũ Petrum, Comitem de Vissingzborg; à quo nobilissima familia etiamnum descẽdit, & Archidapiferi munere fungitur. Secundo nupsit generoso Comiti Ioanni de Hoya, eique peperit Iosephum & Ioannem Comitem de Hoya.

Illustris familia Sture originem suam trahit à Suantone & Stenone Sture, gubernatoribus regni Sueciæ, & per eos ab illustri Duce Suecorum Guthormo, qui floruit anno CIↃ CLXIII.

Comites de Bogesund & Haga originem ducunt à Turone de Lindholmen, aulæ regiæ Marschalco anno 1522, hoc ordine: Turoni fuit filius Ioannes, Consiliarius R. & Castellanus Nycopensis; huic filius Gustavus, primus Com. de Bogesund & Haga; huic duo fuere filii, Ioannes & Steno; Stenoni rursus filius Ioannes, Comes de Bogesund & Haga; qui duxit uxorem Gunilam, filiam Nicolai Gyllenstiern; Baronis de Foglevvyck.

Fami-

Familia Oxenſtiern (è qua ſunt Barones de Fyholm & Tydoen, itemque de Tœreſiœ) originem repetit è prænobili proſapia Baronum de Mœrby.

Familia, quæ jam ab inſignibus (in quibus eſt atrum repandæ formæ cornu, in campo ſtratum ſubflaveſcenti) Horn agnomen uſurpat, è qua ſunt liberi Barones de Amynne, genus ducit è prænobili familia de Amynne & Kankas.

Familia Bielke, è qua ſunt Barones de Leckroe, itemque Barones de Krakerum, & de Saleſtad, longa ſerie genus ducunt à Catillo regni conſiliario, qui floruit anno CIↃ CCC.

Familia, quæ hodie agnomen Gyllenſtiern uſurpat, (ab inſignibus, in quibus eſt ſtella radio ſepteno auri copioſum è regione cærulea evibrans fulgorem,) è qua eſt Baro de Lundholmen & Byrkeſund, regni Architalaſſus; genus repetit ab Erico de Vinſtorp, Equite aurato, & Chriſtina filia Caroli VIII, regis Suecici & Norvvagici.

Ribbingorum familia ſatis vetuſta eſt, è qua multi viri nobiles enituerunt. eius inſignia ſunt terna nymphæ folia, caule prolixius inſtructa.

Præ-

Præluſtris familia de Follenes, Nornes & Stœfle, proſapiam ducit à nobili familia de Flyshult.

Nobilium & generoſorum inprimis virorum, de Broxvvijck, Hereſetter & Kellunde, hodie agnomen Vlfſparre uſurpat, ab inſignibus, in quibus conſpicitur tignus rubro pigmento, in ſpacio umbonis cæleſtino, flavum nympheæ folium, in verſa cuſpide è medio ſuſpenſum, complectens.

Aliarum nobilium familiarum ſtemmata videre eſt apud Ioannem Meſſènium; quæ hic compendii cauſa omittimus.

VIII.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS per Sueciam, eiuſdemque reformatione tempore Lutheri; item ſerie archiepiſcoporum Vpſalienſium.

IMPERANTE Carolo Magno, anno DCCC, ſacroſancta doctrina euangelica primum ad Saxoniam, deinde ad regna aquilonaria, Deo miſericorditer providente, pervenit. Siquidem is diu mul-

multumq; laboravit antequam Saxoniam à ſaxeis diis & idolis poſſet avertere. ſed tandem, bello triginta annorum defatigata, quum abjectis idolis, verbum Dei accepiſſet, mox tot ſanctiſſimi & doctiſſimi viri in illa emergere cœperunt; ut, quæ prius fœdos fœdæ idololatriæ cultores genuiſſet, poſt illa viros clariſſimos, & apoſtolicam vitam proferentes, ad vicinas & remotas terras ad lucrandum Chriſto animas, deſtinaret. Quippe, vivente adhuc Carolo Magno, complures magnæ ſanctitatis viri, & in lege Chriſti doctiſſimi, ex Saxonia in Gothiam & Sueciam pervenerunt, atque in diverſis eius locis idololatriam impugnantes, divini verbi ſemina ſparſere. In quorum numero erat ille Herbertus, quem eccleſia Lincopenſis protopaſtorem ſuum recolit & veneratur. Verum, quia nondum venerat plenitudo temporis quod Deus providerat de Suecis noſtris, (quibus uſque ad horam undecimam otiandum erat,) ſupervenit inimicus homo, & tenerum ſemen, ne in fructum erumperet, conculcavit. Conſumptis enim verbi Dei nuntiis, partim naturali, partim violenta morte, & perſecutione, plerique Gothi ad idololatriam reciderunt. Pius

Imperator ſollicite interim laboravit quomodo regna aquilonaria ad fidem reducerentur; duas eccleſias cathedrales, Hamburgenſem nempe, & Bremenſem, erexit; ex quarum collegiis aſſumi poſſent viri religione & doctrina præclari, qui per regna aquilonaria euangelium Chriſti prædicarent. Verum, dum hæc urget, per mortem ad cæleſtem patriam eſt evocatus. Optimo patri filius optimus Ludovicus anno Dom. 814 ſucceſſit. Qui nihil à paterna pietate degenerans, Chriſti religionem totis viribus augere ſtuduit; curamque præcipuam geſſit de regnis aquilonaribus ad Chriſti fidem convertendis. Anno VI Imperii eius fundari cœptum eſt cœnobium Corbejenſe, ad Viſurgum fluvium in Saxonia, in diœceſi Paderbornenſi, translatis patribus cum nomine de Corbeja Galliarum; (quæ in ripa Sommæ fluminis hodie apparet;) ut viri, ſanctitate & prædicatione verbi Dei celebriores, ex eodem cœnobio aſſumpti in omnem terram aquilonarem transplantari poſſent.

Gothorum pontifices.

1. ANſgarius Suecorum Gothorumque primus pontifex, in Gallia natus,

natus, vix puerilem ætatem egressus, relictis huius mundi opibus, se in monasterium Corbejense contulit. à cuius patribus benigne susceptus, & in lege Dei excellenter edoctus, in eum sanctitatis gradum ascendit, ut tandem omnia aquilonaria regna sanctimonia sua & doctrina illustraret, factus eorum apostolus & præcipuus verbi divini prædicator. Venit autem in Sueciam circa annum Christi DCCCXVI. Lupoldus enim Bebenburgensis, in libro quem conscripsit de zelo Christianæ religionis veterum Principum Germaniæ, dicit, in historia Francorum contineri, quod Ludovicus Imperator, Caroli M. filius, convertit Suecos ad fidem Christi per sanctum Ansgarium, anno Dom. DCCCXVI. Haraldum vero, Regneri Danorum regis competitorem, Moguntiæ una cum conjuge & filiis baptizari fecit, anno Dom. DCCC XXXII; ut idem Lupoldus ex Francorum historia affirmat. Sciendum ergo ex testimonio Crantzii, non semel, sed sæpius, Ansgarium ad regna aquilonaria ad Christi fidem plantandam transivisse; Et quidem ipsum eo tempore, quo supra dictum est, prima vice in Sueciam pervenisse. Cooperatores habuit Gislema-

rum & VVitmarum. Illum Haraldo regi in Dania reliquit: hunc secum in Sueciam assumpsit. Vbi benigne à rege Berone IV susceptí, in civitate Birchensi verbum Dei publice prædicare permissi sunt; totam civitatem Birchensem, omnemque in circuitu regionem, ad veri Dei cultum converterunt; idola destruxerunt; ecclesias construxerunt; multosque per annum integrum Christo sunt lucrati. His in Suecia patratis, Ansgarius ad Hamburgensem ecclesiam (ubi episcopus erat) se contulit; relinquens suo loco apud Bircham sanctum virum Simonem pontificem, & Nitardum presbyterum. Hi quum Christianam doctrinam prædicarent, gravissimas persecutiones ab perfidelibus sustinuerunt, & tandem glorioso martyrio vitam consummarunt. Postquam sanctissimus vir Ansgarius relicta Suecia in suas terras rediisset, illud pusillo gregi Christiano in Gothia accidit quod in caulis ovium absente pastore & veniente lupo evenire solet. Quippe, occiso sanctissimo episcopo Simone, & venerabili presbytero Nitardo, magna Gothiæ pars ad idololatriam est relapsa. Hoc potissimum accidit ex eo, quia rex Ingellus bellum susceperat in

in avunculum ſuum Beronem. ex quo certamine immortalis Dei cultus, qui tenera radice ſubnitebatur, pæne everſus eſt. remanſit tamen aliqua pars populi in vero Dei cultu; ſed occulte. Mortuo Erico Sergerſel, ſucceſſit filius eius Ericus Aorſel. Quo dæmoniis immolante, pontifex, qui impiis ſacrificiis præerat, ſubita cæcitate percuſſus, coram rege ac tota populi multitudine concidit. qui poſtquam diu & fruſtra auxilia deorum ſuorum proſtratus imploraſſet, deſperato penitus uſu videndi, in domum ſuam eſt reductus. cui mater Ieſu (uti narrant) in ſomno ſe oſtendere dignata eſt, & ipſum filii ſui inimicum increpare cœpit; Noveris, inquiens, juſte tibi illatum eſſe quod pateris, qui honorem & obſequium Deo & Ieſu Chriſto exhibendum, dæmoniis impendiſti. nunc igitur, ſi ſanari vis, promitte, quod idolorum cultu abjecto, de cætero fidem Chriſtianam firma mente conſervabis, ſervandamque omnibus prædicari curabis. Quod quum ille promiſiſſet, mox deterſa cæcitatis caligine, lumen mentis & corporis recepit. Hanc gratiam conſecutus idolorum ſacerdos, mox apoſtolica vice fungens, omne regnum circumibat, mi-

rabilia Dei prædicans, & annuntians, Christum verum esse lumen, ad revelationem omnium gentium. Favit illi populus, miraculi novitate attonitus, seque ad suscipiendam fidem Christi parat. Quo & ipse rex commotus, oratores misit adBremensem archiepiscopum pro viris doctrina & sanctitate præclaris, qui reparandæ fidei Christianæ essent idonei. unde & viri præclari missi sunt, Adalvardus, & Stephanus; qui subversa idolorum superstitiosa cultura, populo Christianam religionem sedulo prædicarunt.

2. *Adalvardus* itaque secundus post S. Ansgarium episcopus fidem Christi in Suecia, præsertim circa Vpsaliam, prædicans, ad mandatum archiepiscopi Bremensis, secutus est oratores regis Stonchilli. à quo humaniter exceptus, iu civitate Sigtunensi verbum Dei prædicavit & sacramenta distribuit. Sed, populo ad idola eversa fremente, ingens seditio orta est; & ipse rex Ericus, quum sanctissimos viros defendere conaretur, à furente plebe primum contumeliis, deinde & morte affectus est; & Adalvardus apud Vpsaliam virgis cæsus, deinde ad civitatẽ Birchensem reversus, ibidem tandem vitę finem & sepulturam invenit.

3. *Ste-*

5. *Stephanus*, qui una cum Adalvardo in Sueciam venerat, ipsi successit, & non tam metu mortis, quam zelo propagandæ religionis, relicta Vpsalia, ad Helsingos se convertit. Huic genti non tam difficile fuit religionem persuadere, adeo ut innumerabilis populus quantocius prædicationi illius acquieverit. Tandem consummato tam laudabili studio, in terris Hesingorum, quorum primus & præcipuus apostolus erat, martyrio coronatus est; sepultus in ecclesia & villa Norala, ad australiorem partem Helsingiæ. Post cuius obitum ecclesia Vpsalienſis ad aliquot annos à pastoribus vacavit: donec Olaus Shothomings rex Sueciæ, legatos mitteret ad Eldredum regem Anglorum, ut viros aliquot in fide Christiana eruditos ad se mitteret. Is misit S. Sigfridum archiepisc. Eboracensem; qui relicta patria ad Gothiam meridionalem pervenit, ubi nunc exstat ecclesia cathedralis Vexionensis; quam erigendam curavit. mox ad regem se contulit; qui in fide eruditus & confirmatus, statim suscepto per manus pontificis baptismatis sacramento, arcem regiam Husabii in ecclesiam consecrari præcepit; in qua sanctus episcopus diu-

turniorem moram trahens, totam VVestrogothiam ad Christum convertit & baptizavit. demum multis miraculis clarus, labore defessus, vitam finivit, & in ecclesia Vexionensi sepultus, in sanctorum numerum postmodum fuit relatus.

4. *Suerinus*, quartus ecclesiæ Upsalienſis episcopus. Hic intrepido animo destructis idolis verbum Dei annunciavit; & tandem plenus dierum, in Domino defunctus est.

5. *Nicolaus*, quintus ecclesiæ Upsalienſis episcopus, magnę eruditionis & singularis sanctimonię, incidit in infelicia tempora Ingonis regis junioris, quum jam tota patria verum Deum agnosceret. itaque ab optimo rege liberaliter sustētatus, libere fidem Christianam prædicabat, Deoque & eidem regi fidelissimum populum efficiebat. rege vero veneno exstincto, optimus quoque pastor ex animi mœrore pie in Domino vitam finivit.

6. *Sueno*, sextus Upsalienſis episcopus, ecclesiam à multis incommodis, quæ discordiam civilem comitari solent, prudenter præservavit: Sedavitque domesticum bellū inter Sueciam & Gothiam ob electionem regis enatum; & electo demum Suerchero rege, quie-

quietiora sortitus est tempora. quorum commoditate ita usus est, ut magnum ubique animarum lucrum faceret. inprimis ipsum regem ad multa præclara opera pietatis induxit. hic enim, inter cætera suæ regiæ magnificentiæ præclariora monumenta, monasterium Alvastrense construxit; in quo & sepultus est. episcopus quoque haud diu post illum superfuit.

7. *D. Henricus*, septimus Vpsaliensis episcopus, totius Findlandiæ apostolus & patronus; qui, relicta patria in qua natus erat, exemplo S. Sigfridi, in Sueciam veniens Erico R. (qui postea Sancti nomen meruit) author fuit, ut memorabilem illam militiam in Findlandos idololatras pro dilatanda fide Christiana susciperet. quos bello adortus, comitem habuit Henricum episcopum; in pugna cruenta Findlandi superati manus victori regi porrexerunt. Relictus post victoriam Henricus pontifex apud Findlandos, eos ad Christum convertit & baptizavit anno MCLI; tandemque rex glorioso martyrio pro religione & justitia certans occubuit, & in ecclesia Aboensi est sepultus.

8. *Coopmannus*, octavus episcopus. postquam S. Henricus, autoritate

ſummi pontificis Adriani papæ IV, anno MCLIV, ad diœceſim Aboenſem, quam nuper ad Chriſtum converterat, eſſet tranſlatus, in locum eius ſuffectus eſt; ſed poſt regis Erici martyrium, vix duobus annis revolutis, in fata conceſſit.

Hactenus Suecia tantum epiſcopos habuit; Carolus autem rex, qui Erico ſucceſſit, ut ſuos ab extraneo jugo in ſacris eriperet, ab Alexandro III p. R. pallium archiepiſcopale petiit, & haud difficulter impetravit.

Archiepiſcopi Vpſalienſes.

1. S*Tephanus* primus Vpſalienſis archiepiſcopus, ex Oſtrogothia ortus, in lege divina & humana excellenter eruditus, mundanæ felicitatis contemptor, eam monaſtico inſtituto, ſub regula divi Bernhardi, in monaſterio Alvaſtrenſi, commutavit. ex quo monaſterio rex Carolus, ob eximiam eius eruditionem & vitæ ſanctimoniam, evocandum curavit. Ab omnibus Sueciæ & Gothiæ incolis, ut pater patriæ, venerari meruit, & ad maximum pontificatum primus omnium in terris Suecorum ſublimatus eſt. Alexander autem papa III, comperta viri dignitate, miſſo ab urbe Roma

Roma pallio, archiepiſcopali prærogativa ipſum tempore Friderici primi Imperatoris inſignivit; adjecta duplici Cruce, auro & gemmis illuſtri, cui lignum ſanctæ Crucis erat incluſum. Præterea & ſingulari dono librum euangeliorum ei contulit: quo ipſum legati munere apud externos & novellæ fidei populos inſtruxit. Obiit anno MCLXXXV, & pontificatus ſui XXIII, tranſlatus in monaſterium Alvaſtrenſe, unde prius evocatus fuerat.

2. *Ioannes*, ſecundus archiepiſcopus Vpſalienſis, Stephano ſuccedens, à Lucio III papa, tempore Friderici II Imperatoris, confirmationem & pallum eſt conſecutus; ſed anno pontificatus ſui tertio occiſus fuit à paganis Eſtonibus in propriis ædibus Almerſtok, anno Domini MCLXXXVIII; & ſepulturæ traditus in eccleſia Vpſalienſi.

3. *Petrus*, tertius Vpſalienſis archiepiſcopus, impetrato à Clemente papa, eius nominis tertio, circa tempora Henrici Imperatoris, pallio archiepiſcopali, tanto feliciorem occaſionem propagandæ religionis Chriſtianę ſortitus eſt, quanto nobilior tum rex Canutus, nimirum filius S. Erici, imperaret. In tumultu domeſtico inter Suer-

Suerconem regem & proceres, quem archipræsul sedare moliebatur, exstinctus est, & sepultus Vpsaliæ anno MCXCVII, XVIII septembr.

4. *Olaus Lamba-tunga*, ab Innocentio papa III (tempore Henrici VI Imperatoris) confirmatus, & pallio archiepiscopali insignitus, paucis annis præfuit, anno MCC, 3 novembris, Vpsaliæ sepultus.

5. *Valerius*, Olao surrogatus, brevi quoque tempore præfuit; obiitque anno MCCXIX, VII idus aprilis, in ecclesia Vpsaliensi honorifice sepulturæ traditus.

6. *Olaus*, sextus Vpsaliensis archiepiscopus, postquam ab Henrico papa III pallium accepisset, satis tranquillum pontificatum principio habuit. Postea per discordiam Folchungorum disturbatum est regnum, ob mortem regis Ioannis, in cuius locum constitutus est Ericus cognomento Balbus. Et Præsul hic in fata concessit anno Christi MCCXXXIV, XIII kal. aprilis.

7. *Ierlerus*, à Gregorio IX papa fuit confirmatus. Huius tempore Ericus Balbus R. multa privilegia, libertates, immunitatesque ecclesiis & ecclesiasticis personis concessit. Constituit quoque in ecclesia Vpsaliensi duas insignes

gnes prælaturas, totidemque canonica sacerdotia, quibus præpositus archidiaconus & duo canonici honeste foveri possent. Eo tempore, Tavasti armis superati, ad fidem Christi & obedientiam regis adducti sunt. quibus Ierlerus Thomam episcopum Aboensem antistitem dedit. Obiit anno Chr. M CC LX, VIII kalend. septembris. Sepultus Sictunæ in monasterio prædicatorum. Quo tempore concilium à Guilielmo Cardinale Sabinensi in Scheningia vetustissimo Ostrogothorum opido, sub Innocentio IV, fuit celebratum⌣, & interdictum sacerdotibus Suecorum matrimonium⌣; quo ad ea tempora, more Græcorum, utebantur.

8. *Laurentius*, monasticæ vitæ sub regula S. Francisci addictus, summo ardore & constantia fidem incolis regni prædicavit; & vitæ curriculo absoluto sepultus est Enecopiæ apud fratres suos minores, anno M C C LXVII, III nonas mart.

9. *Falco*, ex archidiaconatu assumptus, à Gregorio papa X consecrationem & pallium consecutus est. Hic ecclesiam Upsalienſem magnifice construxit: archiepiscopalem sedem ex antiqua Upsalia in novam transtulit, &

in

in ea ipsa metropoli octo canonica sacerdotia constituit. & , postquam omnia in regno composuisset, in fata concessit. Sepultus Vpsaliæ anno M CC LXXVII, V nonas martii.

10. *Iacobus Erlandi*, tempore Rodolphi Imperatoris Romanorum à Nicolao papa III consecratus, multum in pontificatu laborem & dolorem invenit. à quo consumptus, diem obiit Vpsaliæ, anno M CC LXXXI. ibique sepultus est VIII calend. novembris.

Deinceps metropolis Vpsalien sis per annos XIV vacavit: nam tres quidem successive electi sunt archiepiscopi; nempe Ioannes Odalphi, Magnus Boëtii, Ioannes episcopus Aboensis: sed quoniam pallium à sede apostolica nõ obtinuerũt, inter archiepiscopos communiter non numerantur.

11. *Nicolaus Allonis* Anagnium sese (quæ tunc erat curia summi pontificis Romani) contulit; palliumque archiepiscopale facile impetravit. Inque patriam reversus, & summo honore à rege Birgero exceptus, post multa præclare acta ad patriam cælestem transmigravit, anno M CCC V. Sepultus Vpsaliæ, II nonas febr.

12. *Nicolaus Catulli*, ob egregia in patriam merita, dignus habitus fuit qui

qui Nicolao succederet. hic enim prius episcopus Arosiensis, pallium à Clemente V circa tempora Henrici VII Imperatoris obtinuit. Ericum & Valdemarum fratres regis Birgeri (eo quod Petrum Arosiensem episcopum in exilium egerant) excommunicavit; qui facta digna pœnitentia, calicem magni ponderis ex auro purissimi, & alia donaria pretiosa, ecclesiæ Vpsaliensi in expiationem admissi facinoris contulerunt. Hinc Nicolaus statim postquam ad archiepiscopatum pervenit, obtinuit à rege Birgero privilegia & libertates pro tota ecclesia Suecana, prout in literis Birgeri continentur. Optimus pontifex, magnitudine doloris ob discordiam civilem obrutus, in fata concessit præmatura, anno M CCC XIV, III calend. jun.

13. *Olaus*, sapiens agnominatus, à Ioanne Papa XXII, tempore Ludovici IV Bavari, Imperatoris, confirmatus, & pallio pontificali decoratus est, anno M CCC XV. Hic incidit in ea tempora quibus implacabile odium viguit inter regem Birgerum & fratres eius; ad quod compescendum, plurimum, verum frustra, laboravit. Tandem laboris pertæsus, in Christo beate obdormivit, anno M CCC XXX, III idus martii.

Huius

Huius Olai tempore regnum post miserum fatum regis Birgeri vacavit. Suffectus autem Magnus Smech, Ingebergis filius, cum consiliariis (tametsi minorennis) omnia Ecclesiasticorum privilegia confirmavit.

14. *Petrus Philippi*, à Ioanne papa XXII, tempore Ludovici Imperatoris, in locum demortui Olai suffectus, & pallio archiepiscopali insignitus est. Contemptis mundi illecebris & vanitatibus se totum divinæ religionis obsequio mancipavit; susceptoque S. Dominici habitu, insignem se divini verbi prædicatorem præbuit. Multos sua patientia eò traduxit, ut humanius & mitius clericos tractarent. Obiit, anno M CCC XLI. Sepultus Sigtunæ apud fratres Prædicatores.

15. *Hemmingus*, à Benedicto XII papa, tempore Ludovici II Imperatoris, accepto pallio, meruit inter archiepiscopos numerari; antea præpositus Arosiensis. Huius tempore terra Scania graviſſima servitute à Teutonicis premebatur. in qua in libertatem vindicanda plurimum hic Præsul laboravit; ad Vardbergum oppidum Hallandiæ, medio novembri, cum omnibus episcopis suis, & Petro archiepiscopo Lundensi, profectus: ubi consentientibus

tibus & petentibus rege Daniæ Christophoro, totoque Danico senatu, ingenti summa, nimirum 2000 librarum argenti puri, Holsatis soluta, Scania imperio Suecico adjudicata est. Quam tamē an. M CCC XL Valdemarus rex Daniæ sibi vindicavit, abusus simplicitate Magni Smech, ac dolo liberis eius omnibus combustis. Post hæc & alia præclara in patriam merita, æterna dignus memoria, defunctus est, anno M CCC LI.

16. *Petrus Gothus Schoningensis*, per Clementem papam VI, tempore Caroli IV Imperatoris, ab ecclesia Lincopensi ad Vpsaliensem translatus, meruit archiepiscopali pallio decorari. Hic ab infantia bonis litteris & moribus à parentibus suis in oppido Schoningēsi antiquissimo Ostrogothorum fuit imbutus, unde multi sancti pontifices & prelati originem traxisse memorantur. Hic bonus pontifex plurima incommoda perpessus in aula regis Magni Smech, eorum pertęsus tandem in Christo pie obiit, anno M CCC XVI, XVIII Octobr.

17. *Birgerus Gregorii*, ab Vrbano papa V, imperante Carolo IV, confirmatus, & pallio archiepiscopali in Viterbio decoratus est. Huius quanta

fuerit in ſacris literis diviniſque & humanis lẽgibus ſcientia, ſatis oſtendunt eccleſiaſticæ hiſtoriæ quæ ab eius fœcundiſſimo ingenio prodierunt. Hoc tempore miſſi ſunt in Sueciam fratres S S. Dominici & Franciſcani. Hic Birgerus anno Domini M CCC LXXVII, prima die junii, in oppido Telgenſi, celebravit concilium provinciale contra uſurarios & alios errores. Item concilium provinciale celebravit Vpſaliæ. Idem cum epiſcopis ſuis & omnibus abbatibus regnorum Sueciæ & Gothiæ ſcripſit Vrbano & Gregorio II, & Vrbano VI, pro canonizatione S. Birgittæ; prout in examine eius inter acta producta, ſub eorum ſigillis, Romæ in hoſpitali eiuſdem S. Birgittæ demonſtrari poteſt. Ab eodem anno M CCC LXXX, die XI menſis ſeptembris, celebratum eſt concilium provinciale in oppido Telgenſi. Hic & legendam S. Birgittæ compoſuit; in qua continentur hæc verba: Beata Birgitta, in regno Sueciæ oriunda, non ſolum juxta revelationem divinitus ſibi factam ex ſanctorum ibidem regum progenie, qui ſuis ſanctis promeruerunt meritis ut magnificaret Dominus miſericordiam ſuam cum illa, illuſtrem duxit originem; verum etiam de nobilibus devo-

devotisque progenitoribus & parentibus nata fuit. Post plurima præclara facta obiit hic pontifex anno MCCCLXXXIII, .V idus martii.

18. *Henricus*, ob excellentia animi dona vitæque probitatem, ab Vrbano VI, quo tempore Venceslaus imperare cœpit, pallio archiepiscopali meruit honorari, Margareta imperium super Sueones tenente. Multa salutaria consilia contulit cũ senatorib⁹, ut Ericum Pomeranum in regem suasu Margaretæ eligerent. à quo non parum molestiæ percepit, postquam Margaretæ filius adoptivus effectus est, una cum ea multis annis regnans: de provisionibus quippe ecclesiarum se ingerere nitebatur; sed constantia & magnanimitate pontificis repressus, minus audere cœpit; donec, mortua regina Margareta, pleniorem occasionem detestabilis sui propositi assequeretur; prius tamen Henricus requiem in cælo nactus est, anno MCCCC VIII, XXIV martii.

19. *Ioannes Gerichini*, natione Danus, à Gregorio XII, temporibus Roberti Bavari Imperatoris, confirmatus, & pallio insignitus, per aliquot annos majore usus est licentia quam pontificem decebat. temporalibus enim sese

negotiis immiſcuit, regalia tributa colligendo, & clerum diœceſeos ſuæ extorſionibus affligendo. colonis item eccleſiarum gravis & intolerabilis erat nimia hoſpitalitate & exactione. Conſiſtoriales ſuos contemptui habuit, tam in conſiliis quam converſatione. Cum mulieribus nobilibus nimiam familiaritatem habuit: Quare conſiſtoriales tam ſcriptis quam vivæ vocis oraculo, multipliciter eum ſunt adhortati, & fideliter monuerunt. Ortaque tandem gravi infamia, regis quoque animus cõtra eum graviter commotus eſt. Vnde tam per regem quam per Capitulum impetratus eſt in cauſa ipſius judex delegatus archiepiſcopus Rigenſis: qui propterea Holmiam venit; cauſſaque cognita, & relata ad Papam, privatus eſt Vpſalienſi præſulatu, & in carcerem regis conditus. Elapſus autem è carcere venit in Iſlandiam; factuſque epiſcopus Scalatenſis, à ruſticis diœceſeos eiuſdem crudeliſſime fuit interemptus.

20. *Ioannes Haquini*, Gothus Vaſtenenſis, licet ante aſſumptionem monachus eſſet, de ordine S. Birgittæ Vaſtenenſis, & vitæ ſanctimonia inſignis; tamen à patribus eccleſiæ Vpſalienſis nequaquam fuiſſet electus, niſi

rex

rex Ericus mandaſſet; qui ſummo Pontifici, Martino Papæ V, tempore Sigiſmundi Imperatoris, ſcripſit, & huic pallium archiepiſcopale gratis impetravit, ea conditione, ut depoſito habitu ordinis S. Birgittæ in poſterum uteretur habitu eorum qui vocantur Canonici regulares Auguſtini. Fuit devotus, modeſtus, ac prudens; remiſſius tamen in officio ſuo paſtorali regem tempore ſuo pro magna parte conſiliis ſuis dirigebat. ædificavit Vpſaliæ domum lapideam novam in curia archiepiſcopali. & tandem morbo lepræ infectus, obiit ſubito in negotio viſitationis, anno MCCCCXXXI, V id. februar.

21. *Olaus Laurentii*, Treudæ non procul ab Vpſalia natus, primum domeſticis præceptoribus traditus, ſuper omnes coætaneos ſuos eruditione & moribus enituit. deinde & miſſus eſt à Capitulo & patribus eccleſiæ Vpſalienſis ad præclaram Vniverſitatem Pariſienſem; in qua brevi doctiſſimos viros ingenio, facundia, prudentia, viſus fuit ſuperare. Quibus virtutibus ornatus, ſummo gaudio in patriam reverſus excipitur, & præpoſituræ dignitate omnium conſenſu honoratur. Igitur mortuo Ioanne Haquini,

concorditer electus est in archiepiscopum; & difficillimo itinere per Finnoniam, Livoniam, Borussiam, Silesiam profectus, Romam tandem appulit; & benevole ab Eugenio Papa (tempore Sigismundi Imperatoris) consecrationem & pallium impetravit. Quo comperto, rex Ericus implacabili exarsit odio, & summo conatu hanc studuit electionem & consecrationem impedire, & hunc Olaum falso apud Papam accusavit. Durante hac discordia inter regem Ericum & Olaum, substituit rex alium archiepiscopum, nomine Arnoldum Clementis, Bergensem Norvegianum; qui à Deo protinus percussus, crudeli morte exspiravit. Huic rex rursus alium substituit Norvegianum, nomine Zorlacum. Qui, cognita dissensione in regno, fugam paravit. Sub hoc tumultu Olaus regi est reconciliatus, & ad ecclesiam Vpsaliensem magna lætitia reductus; tandemque veneno exstinctus periit, anno M CCCC XXXVIII, VII cal. jul.

22. *Nicolaus Ragvaldi*, Gothus Vexionensis, post obitum Olai postulatus est archiepiscopus; vir multę eruditionis & prudentiæ. Talem se regi & patriæ præbuit, ut omnium aquilonarium regnorum pōtifices præcellere puta-

putaretur. nam unus ex omnibus electus qui nomine regis quatuorque regnorum ad concilium Basilienſe mitteretur, à patribus ſummo honore fuit exceptus; & præ cæteris omnibus congregatis dignus judicatus, qui perplexam & diuturnam illam diſcordiam inter regem Galliæ & Ducem Burgundiæ, una cum archiepiſcopo Nicoſienſi exſtingueret; quod & prudenter & ſedulo perfecit, à Principibus ipſis jam reconciliatis, donis magnificentiſſimis ornatus. Plurima præterea laude digna effecit. inter quæ hoc præcipuum, quod ad honorem patriæ, hiſtoriam de antiquitatibus, origine, progreſſu, victoriis & eminentia Gothorum pertexuit; & in publico omnium conſeſſu ita peroravit, ut perſuaſum eſſet patribus, regi Gothorum nulla injuria primum deberi locum inter reges & Principes Chriſtianos. (Exſtat hæc oratio apud Ioannem Magnum, lib. 16, cap. 28.) Obiit anno Chr. M CCCC XLVIII, XVII febr., & Vpſaliæ ſepultus eſt.

23. *Ioannes Benedicti* de Saleſtadt, vir nobilitate & literarum præſtantia præclarus, communi patrum conſenſu poſt fata Nicolai ad dignitatem pontificiam adſcendere meruit. Et, quoniam eo tempore ſchiſma vigebat

in ecclesia Romana inter Felicem & Nicolaum, missi sunt solemnes nuncii à capitulo Vpsalienſi qui confirmationem & pallium electo pontifici ſuo impetrarent; plures item alii, cum huiusmdoi mandato, ut ab invicem diviſi, per diverſas transirent nationes, diligenter inquisituri, uter haberetur pro indubitato apoſtolico ſucceſſore; quem autem cognoſcerent pro vero haberi ſummo Pontifice, ab illo confirmationem & pallium poſtularent. Altera pars ad concilium Baſilienſe, altera Romam ſe contulit ad Nicolaum Papam V. Qui eidem electo archiepiſcopo reſcripſit, præcepitque, ut, damnati concilii Baſilienſis confirmatione rejecta, à ſe unico & vero ſummo pontifice acciperet confirmationem. Hic præſul, incolis regni obnixe petentibus, ut ſe à tyrannide regis Caroli liberaret, regi bellum movit, eumque Stockholmiæ multitudine incolarum ſtipatus obſedit. Rex fugam capeſſere coactus, Gedanum ſe contulit. Archiepiſcopus autem, cum paucis conſiliariis, imprudenter Chriſtiernum regem Daniæ in regnum accerſitum, Stocholmiæ temere, & abſque ſenatus regni conſenſu decretoque populi, coronavit. Quod illius

factum

factum Christiernus postea summa ingratitudine compensavit, & præsulem absque justa causa secum captivum in Daniam abduxit, perpetuoque carceri mancipavit; donec Catillus, episcopus Lincopensis, collectis undique copiis, Christiernianæ factionis homines ex Suecia ejecit, Carolum ex Borussia revocavit, archiepiscopumque è manibus & carcere Christierni eripuit, eumque ad suam metropolim redire permisit, patria cum rege & pontifice in libertatem & tranquillitatem restituta.

24. *Iacobus Vlfonis*, quum Romę intellexisset, regẽ Carolũ in locum defuncti Ioannis archiepiscopi quemdam Tondonem decanum Lincopẽsem, capitulo invito, intrusisse, indignissime tulit eam regis præsumptionem, quæ legibus divinis & humanis nimium repugnare sibi videbatur: ideoque sibi consecrationem & pallium impetravit à Paulo II papa, (tempore Friderici III Imperatoris, anno 1469,) & limina patrię ingressus, spectator factus est atrocis prælii, quod anno 1471, 8 octobris, juxta mœnia civitatis Holmensis, inter Christiernum, eius nominis primum, regem Daniæ, & Stenonem Sture, regni Sueciæ gubernatorem,

commissum fuit. Senatorum enim rogatu in numerum senatorum adscriptus est. quod tamen strenue recusabat. Hic pontifex, multis injuriis lacessitus, atq; defatigatus, circa quadragesimum sextum sui pontificatus annum, archiepiscopatũ in manus Leonis papæ X, in favorem Gustavi Trolle, resignavit; & supervixit annis VIII. Tempore huius archiepiscopi Iacobi erat in Suecia Bartholomæus de Camerino, quæstor Innocentii VIII; qui maximum thesaurum è regnis aquilonaribus exportavit, sub prætextu debellandi Turcam. Mors huius archiepiscopi incidit in annum 1522. nec corpus eius permissum est ecclesiasticæ sepulturæ commendari ante annum 1526. quod tunc translatum fuit ex monasterio Carthusianorum Gripsholmensi, in quo obierat, & Upsaliæ honorifice sepultum IV febr. eiusdem anni. Inter cætera huius præsulis egregie facta haud minimũ est, quod summa cura & industria allaboravit, ut academia institueretur Upsaliæ, consilio cleri totius regni in eum finem coadunato, & regis consensu impetrato: è synodo quoque Romam cum literis ablegatus est Ragualdus Ingemundi, canonicus Upsaliensis; qui ea,

quæ

quæ jam commonſtrari poſſunt, privilegia Sixti IV Pontificis, anno CIↃCCCC LXXVI, III kalend. martii, in urbe Roma exarata, obtinuit; quibus Vpſalienſi academiæ eædem prorſus immunitates, quæ Bononienſi, conceduntur.

25. *Guſtavus Trolle*, patrem habuit Ericum Trolle, genere, eruditione, virtutibus nobiliſſimum. Huic confirmationem & pallium Steno Sture per literas petiit à Leone X papa, impetravitque anno CIↃ IↃ XV. Munus pontificale ſummа difficultate peregit, una cum Chriſtierno regno expulſus, & extra patriam mortuus.

26. *Iohannes Magni*, Gothus, Lincopiæ anno CIↃCCCC LXXXVIII, XIX martii, ex honeſtis parentibus natus, & eorum cura bonis litteris mancipatus, laudabiles valde progreſſus in iis fecit, non modo domi, ſed & in clarioribus Germaniæ, Galliæ & Italiæ academiis. Iuſſus quoque eſt à Stenone Sture, regni Sueciæ gubernatore, ad Romanam curiam ſeſe conferre, ut doctiſſimorum virorum inſtitutione & conſuetudine talis evaderet, qualem reſpublica Suecana unice flagitabat. &, poſtquam gradu magiſterii in gymnaſio Peruſiano eſſet inſignitus, & pro-

& professor theologiæ factus; Romam ab Adriano VI papa fuit evocatus; eique legatio in causſa periclitantis fidei Romano-catholicæ in Suecia est destinata. Qui quum in Sueciam veniſſet, comperit, Gustavum à proceribus regni anno CIↃ IↃ XXIII, VI die junii, in regem fuiſſe electum & coronatum. qui adeo in religione reformata erat confirmatus, ut legatus frustra in ipso ab ea deducendo laboraverit. nihilo secius à rege & proceribus regni capitulique Vpsalienſis archiepiſcopus, specie recuſantis, electus est. sed, quum reformatam religionem amplecti nollet, frustratus est officio archiepiſcopali, Romamque reverſus. ubi tandem mortuus, anno CIↃ IↃ XLIV, XXII die martii. Hic hiſtoriam Gothorum ſumma diligentia & fidelitate conſcripſit, item hiſtoriam metropolitanæ eccleſiæ Vpsalienſis, Romæ editam CIↃ IↃ LX.

Hi præfati XXVI archiepiſcopi Romanæ religioni fuerunt addicti, & à Pontificibus Romanis confirmati, & pallio archiepiſcopali inſigniti.

27. *Laurentius Petri*, Gothus, poſtquam Ioannes Magni Romam eſſet regreſſus, & reformata religio ſecundum confeſſionem Auguſtanam in Sueciam

Sueciam spargi & propagari cœpit, ad munus archiepiscopale, postulante rege Gustavo, & toto Capitulo Vbsaliensi, electus est, anno CIↃ IↃ XXXI. pallio archiepiscopali à papa confirmari & decorari noluit; sed simplici suffraganearum electione & trium episcoporum ordinatione fuit contentus. Hic Laurentius fratrem Germanum habuit Olaum Petri. qui circa annum Christi CIↃ IↃ XX VVittebergæ studuit, & attentissimus B. Martini Lutheri discipulus fuit: quem contra Papam legentem disputantemque audivit, & publico scripto indulgentias papales impugnavit. Hic Olaus, doctrina & moribus B. Lutheri ita informatus, in Sueciam reversus est, eo ferme tempore quo Synodus provincialis Stringnensis celebrata est, anno CIↃ IↃ XXIV; ubi Gustavus electus est. Hic Olaus eamdem, quam imbiberat, doctrinam publice & privatim coram rege & proceribus regni, nullo resistente, prædicare cœpit. Quæ ut vera & orthodoxa fuit, ita felicem & optatum progressum & eventum sortita est. Hanc rex amplexus est. & præfatus Olaus hoc ipso singularem gratiam apud regem cõsequutus est; idoneumque nactus est discipulum Laurentium

Andreæ,

Andreæ, presbyterum & archidiaconum ecclesiæ Stringnensis: & uti Lutherus & Melanchthon in Germania; sic hi duo in Suecia, abjecto jugo papali, ecclesiam, à fæcibus pontificis purgatam, in vera salutifera euangelica doctrina informarunt: ut item Gustavus à servitute civili rempubl. Succanam ad optatam libertatem vindicavit; ita & hi eamdem à servitute ecclesiastica in veram libertatem restituerunt, & per totum regnũ euangelicam doctrinam seminarunt. Nec minori diligentia & dexteritate Laurentius Petri, archipræsul Vpsalienſis, in hoc negotio laboravit; qui cum fratre suo Olao sacra biblia in linguam Sueticam ex versione Germanica Lutheri transtulit.

28. *Abrahamus Andreæ Angermannus* incidit in tempora Ioannis regis III. sub quo viguit illud malum Liburgicum multis exosum, cui se archiepiscopus opposuit. cuius rei caussa in exilium fuit pulsus. quo sedato in patriam est reversus.

29. *Olaus Martini*, vir singulari pietate, & in sacris literis apprime eruditus: in concionibus sacris excellens, quæ si typis mandatæ essent, magnum ubique fructum commune mi-

ne ministerium ecclesiasticum sentiret.

30. *Petrus Kenicius*, Bothniensis, SS. Theol. Doctor, & academiæ Vpsaliensis vicecancellarius; antequam ad hanc dignitatem solémniter vocatus fuit, Ecclesiæ Scarinensi in munere episcopali summa cum laude præfuit; qui etiamnum, Dei favente gratia, superstes est, & docet: vir mira sane gravitate, & animi corporisque dotibus summis præclarus; quem D. O. M. ad nominis sui gloriam & reipubl. Suecanę adjumentum maximum diu beateque vivere sinat.

FINIS.